



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annalium Paderbornensium Pars ...**

Complectens Inprimis Fusiorem Episcoporum Paderbornensium, Deinde Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westfaliam Antistitum, Tum Res Gestas Aliorum In Eadem Hac Regione Clarorum Virorum, Postremo Pontificum, Imperatorum, Principum &c. Gesta, maxime ea, quae Westfaliam contingunt

Ab anno Christi 1500. usq[ue] ad annum 1618. inclusivè

**Schaten, Nicolas**

**Nevhsii, 1741**

Liber XXII. [1568 - 1585]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7785**







# IOANNES II.

Comes de Hoja,  
EPISCOPUS PADERBORNENSIS, MONAS-  
TERIENSIS, & OSNABRUGENSIS,  
Nostrorum Episcoporum XLII.

Annus Christi 1568.

PII V. Pontificis 3.  
MAXIMILIANI II. Imperator. 4. & 5.  
JOANNIS II. Episcopi Pad. 1.

Joannes  
de Hoja,  
Episcopus  
Monaste-  
riensis &  
Osnabru-  
gensis, Pa-  
derbornæ  
postulatur.



Emberto è vivis evocato Cathedralis Eccle-  
siæ nostræ Canonici prudenter censuere, si-  
bi propter modernorum temporum pericula  
non diu cunctandum esse in surrogando no-  
vo Antistite. Prævidebant enim fore, ut  
Martinus Hoitbandus, ante annum expul-  
sus, forensis Ecclesiæ Pastor apostata, vacan-  
te sede iterum se è latebris Huxariensibus in  
urbem nostram injiceret, eamque Lutherani Evangelii causâ no-  
vis tumultibus implicaret. Quare decimâ post mortem die, quæ  
erat vicesima 2da Februarii, Neuhufana in arce convenere; ibique  
votis concordibus ad vacantem cathedram postulârunt Joannem  
Comitem de Hoja, Monasteriensis, & Osnabrugensis Ecclesia-  
rum Præfulem, ob insignia maximarum virtutum, ac scientiarum  
decora, tantis honoribus longè dignissimum. Rei peractæ nun-  
tium accepit Joannes in Diœcesi Monasteriensi (illic enim paulò  
antè, die undecimâ Januarii, solennem ingressum celebraverat)  
statimque Romam festinatas literas misit ad Cardinalem Alexan-  
drinum



drinum, qui, proposito Paderbornensis urbis periculo, postulationem de se factam, à Pio V. Pontifice confirmari, peteret. Abhorrebat quidem Papa sanctus à tot Episcopatibus in unam personam congerendis. Ne tamen interea, dum longiores Romæ consultationes fierent, Paderborna aliquid incommodi à Lutheranis pateretur; continuò per eundem Cardinalem, Joanni postulato rescribi fecit; Paderbornensis Ecclesiæ regimen tantisper ei à Pontifice commendari, donec petitiæ confirmationis necessitas in Pali curia penitiùs excussa foret.

Ibidem vacantis Ecclesiæ curiam temporariam accipit. Ex literis Pii V. Pontificis infra citandis.

Commodum advenerunt istæ Cardinalis Alexandrini literæ, cum in urbe nostra Martinus Hoitbandus, ab Huxariensi exilio redux, novam populi seditionem, ac tumultum ageret. Crepabat is ubique verbum Dei, ex quo omnes hæretici, tam recentes, quàm antiqui, sua contra Ecclesiam tela malè deprompserunt: & quia simul ortu Paderbornensis erat, facile rursus ad se attraxit multos è grege civium, qui ipsius doctrinis, ante annum prægustatis, denuo adhærescerent. Horum deinde adminiculo rursus ille forensis Ecclesiæ cathedram conscendere, Pastorum sibi ademptum repetere, Confessionis Augustanæ suavitate dilaudare, Beatæ MARIÆ Virginis cultum proscribere; atque, ut alia non pauca taceam, Wilhelmum Hassiæ Landgravium, aliosque Principes implorare, ne desistant, ejus doctrinam, personamque Paderbornensi magistratui commendare. Quo audito Postulatus noster, ne initia novæ seditionis in pejus vergerent, pro potestate sibi interim commissa, mense\* Augusto Paderbornam properat; vocatòque in Abdinghoffense monasterium inquieto, \* & jam sæpius rebeli capite, coram universo Clero: Age, inquit, Hoitbande! tuæ novæ Religionis ac Fidei rationes hinc ante oculos nostros palam expone. Si quid Fidei Catholicæ melius, et veritatis patrocinio dignum attuleris, tuæ causæ non deerò: sin minus; aut palinodiam cane, aut cathedrâ et urbe cede. At ille sciens, quàm erudito, & in rebus Fidei exercitato Principi sese oppositurus esset, si quid in suæ causæ, doctrinæque patrocinium diceret; hanc aleam subiri noluit, maluitque videri minus peritus, quàm errorum ac falsitatum suarum publicè convictus. Quare Princeps eidem ocyùs Pastorum, & urbe interdicit; unaque simul Paderbornensi magistratui severè præcipit, ut, nisi protinus excedat mœnibus, eundem armatâ manu, vel satellitibus immisissis, excedere cogat. Ità demum urbs præsentissimo corruptionis periculo subtracta est; & Hoitbandus, alterâ jam vice pulsus, à fontibus Paderæ \* Susatum abiit: ubi stationem, apostatico ingenio suo dignam, in Ecclesia S. Walburgis consecutus est.

Martinum Hoitbandum, Huxariâ reditum, Lutheranae doctrinæ & seditionis commotæ causâ rursus ab urbe pellit. Kerffenb. in hist. Ep. Pad.

Hamelin. in hist. Ev. Paderb. p. 1370. & sequent.

\*Hamelin. pag. 1370. \*Charta Paderb.

\*Hoitband in apologia

Glo-



Propterea à  
 Pio V. tan-  
 dem confir-  
 matur us-  
 que ad suū  
 & sedis  
 Apostolicæ  
 beneplaci-  
 tum.  
 Ex literis  
 Pontificiis.

Gloriosum illud Postulati facinus magnum ipsi adjumentum attulit ad obtinendam, quæ hucusque deerat, confirmationem summi Pontificis. Hic enim, quod ægerrimè ferret, tot Episcopatus, contra sanctiones Tridentinæ synodi, in unam personam confluere; jam certò constituerat, postulationem ejus, à Capitulo Paderbornensi factam, non admittere. At ubi postmodum recentioribus è literis didicit, quæ & quanta Postulatus noster Paderbornæ hoc anno contra pastorem Lutheranum egerit, continuo mutavit animum; & eidem Postulato, velut Principi de Ecclesia nostra præclare merito, die sextâ Novembris confirmationem Apostolicam impertivit: eâ tamen cautione additâ, ut administratio illi commissa durare solum debeat usque ad Romanæ sedis beneplacitum. Superfunt hac de re adhuc binæ Pii V. Pontificis literæ, quarum unæ ad Joannem Episcopum, & alteræ ad Paderbornense Capitulum datæ sunt. Priores ita habent:

Literæ con-  
 firmationis.  
 ex archivo  
 Cath. Eccl.

**V**enerabili fratri Joanni, Episcopo Monasteriensi, Pius Papa V. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Molestè tulimus, non potuisse nos postulationem de persona tua ad Ecclesiam Paderbornensem, ab illius Capitulo factam (quod quidem negotium cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, communicavimus, maturèque discussimus) obstantibus Canonicis sanctionibus, et sacri concilii Tridentini decretis, admittere. Impediunt enim, venerabilis frater, ut nôsti, aliarum duarum Ecclesiarum onera, quæ sustines. Quia verò te, propter eximium tuum in Religionem Catholicam studium, vehementer amamus, et egregiè de te sentimus, magnâque cum lætitia intelleximus, quantam diligentiam et vigilantiam in ipsa regenda Ecclesia Paderbornensi adhibueris, quantumque profeceris, postquam ea tibi per literas dilecti filii nostri, Cardinalis Alexandrini, nostro nomine scriptas, commendata fuit: Nos, qui ipsi Ecclesiæ, quantum fieri potest, his turbulentis et periculosis temporibus maxime consultum cupimus, commendationis nostræ tempus ad nostrum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum prorogamus; teque interim ejusdem Ecclesiæ Paderbornensis in spiritualibus et temporalibus Administratorem, ita quòd ejus fructus, redditus, et proventus percipere et exigere, ac in tuos, ipsiusque Ecclesiæ usus et utilitatem convertere, libere et licitè possis et valeas, autoritate Apostolicâ tenore presentium ad simile beneplacitum constituimus et deputamus. Mandantes dilectis filiis, Capitulo, Clero, et populo, Ecclesiæ, civitatis, et Diocesis Paderbornensis, ut te interim, tanquam ejusdem Ecclesiæ Administratorem, animarumque suarum Pastorem, humiliter ac devotè suscipientes, tibi debitam reverentiam et obedientiam præstent et impendant; vasallis verò et subditis, ut consueta servitia et jura, tibi ab eis debita integre exhibeant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis,



ac in Synodalibus et provincialibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ipsius Ecclesie Paderbornensis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die VI. Novembris MDLXVIII. Pontificatus nostri anno tertio.

Alteræ ejusdem Pontificis literæ, eodem die, mense, & anno, ad Paderbornense Capitulum datæ, hoc modo sonant:

**D**ilectis filiis, Decano et Capitulo Ecclesie Paderbornensis, Pius Papa V. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Postulationem, de persona venerabilis fratris Joannis Episcopi Monasteriensis, ad Ecclesiam Paderbornensem, per literas vestras factam, re cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris communicatâ, matureque examinatâ, de eorum consilio nequaquam admittendum duximus, obstantibus Canonicis sanctionibus, ac sacri Tridentini concilii decretis, propter onera, quæ is sustinet, aliarum duarum Ecclesiarum. Quia tamen ipsius Episcopi persona nobis valde probata est, magnâque cum lætitia intelleximus, ejus curam, operam, et vigilantiam, isti Ecclesie, postquam ei fuit per literas dilecti filii nostri Cardinalis Alexandrini, nostro nomine scriptas, commendata, maximè utilem et salutarem fuisse, et majora etiam ex eo speramus: ad ejusdem Ecclesie utilitatem, cui his turbulentis et miseris temporibus, quantum cum Deo possumus, consultum cupimus, commendationem prædictam ad nostrum, et Apostolicæ Sedis beneplacitum duximus prorogandam, ipsum Administratorem in spiritualibus et temporalibus Ecclesie Paderbornensi constituentes. Hortamur itaque vos, atque etiam vobis mandamus, ut ei, tanquam Administratori Ecclesie Paderbornensis, debitam obedientiam ac reverentiam præstetis; ipsiusque in regenda Ecclesia vestra custodiam et diligentiam adjuvare, pro vestra parte enixè studeatis, vitam, actiones, et omnia studia vestra, ad Dei honorem, et Catholicæ Religionis cultum augendum, salutemque animarum et populorum vestrorum quietem procurandam dirigentes, sicut vos facturos esse confidimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die VI. Novembris MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio.

Paulò post, nimirum die trigesimâ Novembris, etiam expeditæ sunt Viennenses literæ, quibus Imperator Maximilianus, Joanni Episcopo, vel Administratori nostro consueta Principum regalia contulit; ejusdemque rogatu simul omnia Paderbornensis Ecclesie privilegia, donationes, fundationes, immunitates, & alia hujusmodi jura, benignissimè confirmavit. Operæ pretium non est, eas hîc adducere: tum quia nimis longæ sunt, & linguâ Teutonicâ scriptæ, tum quia nihil singulare continent, quod ad nostræ historiæ scopum queat conducere. Tempus autem, quo datæ

A Maximiliano II. Imperatore accipit Regalia pro Episcopatu Paderbornensi.

Ex diplomate Casareo, in archiv. Caes. Ecl.



datae sunt, in fine earum additur hîsce verbis: *Datum in urbe nostra Vienna, die ultimâ Novembris, anno post nativitatem Christi Domini no-*

*\*annus hic sri millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Regnorum nostrorum, Ro-*  
*desumitur mani\* septimo, Hungarici sexto, Bohemici vigesimo,*

*ab anno*  
*1562, quo*  
*electus est*  
*Romanorū*  
*Rex, patre*  
*adhuc vi-*  
*vente.*

## Annus Christi 1569.

PII V. Pontificis	4.
MAXIMILIANI II. Imperat.	5. & 6.
JOANNIS II. Episcopi Pad.	2.

Joannes E-  
piscopus  
Neuhufii  
cum urbe  
Paderbor-  
nensi beni-  
gnè transi-  
git de rebus  
in seditione  
præterita  
gestis:  
*Ex Recessu*  
*Episcopi*  
*Joannis de*  
*Hoja, in*  
*archiv.*  
*Cath. Eccl.*



Joannes Episcopus noster, postquam, exeunte anno superiore, à Pio V. Pontifice confirmatus, & à Maximiliano Cæsare consuetis Regalibus impertitus esset; continuò se accinxit ad capiendam, ut primùm posset, Dioecesis nostræ possessionem. Itaque mense Februario Neuhufanam ad arcem, Paderbornæ vicinam, cum egregio apparatu venit: atque, ut in solenni urbis ingressu pacata omnia inveniret; priùs illic de rebus omnibus, quæ in seditione præterita, propter Hoitbandum & ejus doctrinam, gestæ erant, cum senatu & civibus benignè transigendum duxit. Evocati in hunc finem primaria statuum Dioecesanorum capita: & quidem nomine majoris Capituli (cujus Decanus ante dies paucos exspiraverat) Wilhelmus de Westphalen, Præpositus, Philippus de Westphalen, Senior, & quidam alii: nomine Ordinis equestris, Joannes Dynasta in Büren, Fridericus de Westphalen, satrapa Dringenbergensis, Philippus de Hôrde, Dominus in Boke, & Schônbergius de Spiegel, Dominus in Defenberg: denique nomine civitatis Paderbornensis & aliarum urbium, consules Paderbornenses, Warburgenses, & Brakelenses. Horum operâ & consilio tandem die undecimâ Februarii dissidium illud cum urbe & civibus compositum est his conditionibus. *Primò*: ut senatus ac tota civium communitas Recessus omnes, ac transactiones, tam veteres, quàm novas, constantissimè fervet; & quidquid ad alendam pacem, quietem, concordiam, & obedientiam debitam conferre potest, cum omni industria præstet. *2dò*: ut Paderbornenses cives nullam in Religione mutationem vel novationem facere præsumant; neque Ecclesiæ ministros, in forensi templo, & alibi ab Antistite suo constituendos, perturbent, aut perturbari sinant: & si fortè id fieret, ejusdem facti reos ad supplicium deposcant, vel Episcopali Celsitudini suæ puniendos tradant. *3tio*: ut consules ac senatores Paderbornenses, quòd annis proximè elapsis, in diversis civium suorum

tur-



turbis, seditionibus, concursationibus, rebellionibus, & iniquis machinationibus, nimiam conniventiam usi fuerint, neque earum auctores & reos tempestive in poenam traxerint, ideoque ab Episcopali Celsitudine sua pro excusatis, aut penitus innoxii haberi nequeant; nonnullorum quidem Procerum & consiliariorum intercessione, in gratiam recipiendi sint: ita tamen, ut illaeso honore, statu, & officio suo, humillimam deprecationem praestent; ac deinceps in imposito sibi munere debitam obedientiam, fidamque sinceritatem exhibeant. *Actum*: ut Episcopali Celsitudini suae sine omni obstaculo & reclamazione liberum sit, praeteritorum tumultuum auctores, primipilos, concitatores, & consortes, cujuscunque conditionis ii sint, processibus debitis ad poenam deponere, vel ad gratiam & reconciliationem rursus admittere. Quae omnia, licet pervicacissime neget Hoitbandus in apologia sua, anno 1580 Marpurgi edita; fusissimè tamen legi, & videri possunt in transactione vel Recessu Joannis de Hoja, in archivis nostris adhuc optime custodito, cujus finis est: *Actum Neuhusii anno Domini nostri JE. SU Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono, die Veneris, undecimâ Februarii.*

His peractis, Joannes Episcopus & Administrator quadriduo post, nimirum die decimâ quintâ Februarii, solenni pompâ, ac trecentorum ferè hominum comitatu, urbem ingressus est, juramentum fidelitatis à civibus recepit, synceram in antiqua Fide constantiam inculcavit, noxarum praeteritarum condonationem fecit, ac demum, adornatis omnibus, quae ad felicem administrationem, publicamque tranquillitatem pertinent, aliorum negotiorum causâ Monasterium rediit. Vix autem discesserat Paderbornâ, cum illic iterum nova dissidia coorta sunt inter ipsos Cathedralis Ecclesiae Canonicos. Obiêrat quarto Nonas Februarii, priusquam Episcopus advenisset, Reverendissimus Dominus Volbertus de Brencken, Decanus Major, vir antiquae Fidei: novaeque electionis dies à Capitulo constituta erat dies nona mensis Martii. Congressu inuito, frustra que exire jussis, qui excommunicati, suspensi, irregulares, aut alio quovis modo ad eligendum inhabiles essent, cum protestatione debita processum est ad scrutinium: eoque habito compertum est, plurima quidem vota stetisse pro Domino Wilhelmo de Schilder; sanio rem verò partem pro Domino Henrico de Meschede. Huic enim, praeter nonnullos alios ad eligendum inhabiles, adhærebant Wilhelmus de Westphalen, Major Praepositus, Philippus de Westphalen, Senior, Rabanus de Hôrde, Scholasticus, Godefridus de Raêsfeldt, ac Theodoricus de Meschede, omnes in sacris Ordinibus constituti, virique tales, in quorum vota

Ac dein die  
15 Februa-  
rii solenni  
ritu, Pader-  
bornam in-  
greditur.  
*Kerffenb.*  
*in catal.*  
*Ep. Pad.*

Ibidem,  
post obitum  
Decani  
Volberti de  
Brencken,  
per dissidium  
eliguntur  
duo decani,  
nempe  
henricus de  
Meschede,  
& Wilhel-  
mus de  
Schilder.  
*Acta ele-  
ctionis*  
*in archiv.*  
*Cath. Eccl.*

Ecc

&amp;



\*Pius V. in & \* personas cadere non poterat ulla exceptio. Contra verò inter eos, qui elegerant Wilhelmum de Schilder, erant septem in sacris Ordinibus non constituti, duo absentes illegitimè sine justa causa, & alii duo irregulares vel excommunicati, quòd in ultimo bello \* militassent hæreticis contra Philippum, Hispaniæ Regem: quorum suffragiis rejectis tantùm remanebant ei duo vota valida, nimirum Domini Bernardi de Büren, Subdiaconi, ac Domini Wilhelmi ab Hatzfeldt, in sacro Diaconatûs gradu constituti. Re ad litem deductâ, appellatum est ad summum Pontificem, Pium V.

Qui examinato electionis processu (cùm videret, saniora quinque vota stetisse pro Domino Henrico de Meschede) sequenti anno, die decimâ nonâ Aprilis, electionem ejus approbavit; & alteram Wilhelmi de Schilder, utpote in duobus tantùm suffragiis jure validis, consistentem, Apostolicâ auctoritate repudiavit, uti constat è proluxa ejusdem Pontificis Bulla, quæ adhuc superest, & ita clauditur: *Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio decimo Kalendas Maji, Pontificatûs nostri anno quinto.* Atque hic ille laudatissimus Decanus, cui præter Theodorum Fürstenbergium, paulò seriùs advenientem, Paderbornensis Ecclesia potissimùm debet, quòd in antiqua, verâque Religione Catholica etiamnum perseveret; uti è sequentium annorum decursu clariùs elucescet.

Interea Joannes Episcopus noster, retardatæ, multisque abusus corruptæ, justitiæ consulturus, in Monasteriensi Dioecesi sua instituit hoc anno judicium Aulicum, vulgò *das Hoff-Gericht*: cui primus ipse (veluti vir legum gnarus, & qui jam antè Spirensis Camerae Assessor ac Præses fuerat) Rheinensi in oppido summa cum auctoritate præsidebat. Subinde & primum suo loco judicem in eo tribunali posuit Engelbertum de Langen, celebratæ eruditionis virum; cui & alios duos Assessores, utriusque juris peritissimos, pro faciliori justitiæ cursu adjungi, voluit. Postremò etiam, ut iidem judices & Assessores intrâ certos rerum agenda- rum cancellos adstringerentur; librum integrum (cui titulus est: *Joannis de Hoja, Monasteriensis Episcopi, ordinatio judicii Aulici*) magnâ industriâ conscribi, à Maximiliano Cæsare approbari, ac demum biennio post \* Monasterii typo dari, & vulgari fecit. His autem rectè, ac laudabiliter institutis, exeunte Augusto Paderbornam rediit; ibique postridie Kalendarum Septembrium, pro more veteri, diem solennem egit, quo Vasalli omnes coram Principe clientelam suam profiteri, ab eoque omnium bonorum feudalium confirmationem, renovato fidelitatis juramento, flagitare debent. In eo magnorum Vasallorum conventu etiam sistedebat se Herman-

nus

\*ex eadem Bulla & ex actis electionis.

Pius V. Papa sequenti anno causâ hanc decidit pro D. Henrico de Meschede, qui & mox decanalem dignitatem adiit.

Bulla Pii V. in archiv. Cath. Eccl.

Joannes Ep. Monasterii instituit judicium Aulicum. chron. Monast. ms.

\*impressa est Monasterii anno 1571. Paderbornæ die 2. Septembris curat à suis Vasallis accipi novas infeudationes.

Ex veteribus ms.



nus Simon, defuncti Comitis Lippiensis frater, & Comes Spiegelbergicus: qui ex Urfula conjuge, postremi Comitis Spiegelbergensis, ac Pymontani, sorore natu maxima, jam pridem arrogaverat sibi jus, & successionem beneficiariam in comitatum Pymontanum. Sed, cum id ei haecenus negatum esset à Remberto Episcopo, femineam successionem rejiciente; Joannem successorem ejus iteratis multorum intercedentium precibus tandem hoc anno \*in sua vota pertraxit: eâ tamen lege, ut beneficiaria concessio Pymontani comitatûs masculinam ejus progeniem non excederet. Hæc autem post annos paucos iterum exaruit in Philippo, Hermanni Simonis, unico filio, de cujus obitu plura dicemus ad annum 1583.

Hermann  
Simoni, des  
functi Co-  
mitis Lip-  
piensis, fra-  
tri, comita-  
tum Pyr-  
montanum  
concedit  
pro sola ejus  
progenie  
masculina.

\*Hamelin.  
l. 3. de fa-  
miliis e-  
mortuis,  
lit. P. pag.

754.

Belgæ, qui-  
escentibus  
geusis, pre-  
muntur ni-  
miis exa-  
ctionibus à  
Duce Al-  
bano,

Havaus in  
ann. brab.

Hugonotti  
in Gallia  
ceduntur  
duobus non  
parvis præ-  
liis.

\*Spond. hic  
n. 1.

Vita Pii V.  
to. 1. ss.

Maji n.  
111.

\*Spond. hic  
n. 6.

Vita Pii V.  
ib. n. 124.

De rebus à Maximiliano Imperatore gestis memorabile nihil hoc anno suppetit. In Belgio Geusiorum vires per decursum anni superioris cum in modum accisæ erant, ut eorum furor jam ferè penitus elanguesceret. Nova tamen graviorum bellorum semina pro futuris temporibus jaçta sunt à Duce Albano, quòd immodicis pecuniarum postulationibus plebem ægre quiescentem hoc anno premeret. In Gallia Hugonotti, cum assidue adversus Regem & Catholicos in armis essent, acerrimis duobus præliis vehementem hoc anno cladem accepere. Primum ex iis die decimâ tertiam Martii commissum est in provincia \*Engolismensi, Jarnacum inter & castrum novum: ubi Ludovicus Princeps Condæus, Hugonottorum antesignanus, unâ cum plurimis ipsorum primariis ducibus infelicissimè periit, reliquo eorundem exercitu vel à Regiis deleto, vel in fugam præcipitem verso. Alterum longèque truculentius prælium die tertiam Octobris initum in provincia Picaviensi prope oppidum \*Monconturium: ubi Regales copis, cum Hispanicis, ac Pontificiis auxiliis conjunctæ, tam insignem de Hugonottis victoriam retulere, ut soli milites Pontificii, ductore Sanct-Florio, septem & viginti signa iisdem eripuerint. Desiderati è Catholicis tantum quingenti; ex hæreticis autem ferè decies vel duodecies mille: plures, ne perirent, à supervenienti nocte protecti fuere: tormenta eorum omnia cum cetero apparatu bellico in prædam accepta: Gaspar Collignius, Hugonottorum præcipuus ductor, celeriori fugâ periculum evasit; morti magis ignominiosæ post unius triennii lapsum reservandus.



## Annus Christi 1570.

PII V. Pontificis 5.  
 MAXIMILIANI II. Imperator. 6. & 7.  
 JOANNIS II. Episcopi Pad. 3.

Selymus  
 Turcarum  
 Imperator  
 invadit Cy-  
 prum,  
 Gabut. in

vita Pii V.  
 to. 1. Ss.  
 Maji, l. 4.  
 6. 1. n. 203.  
 Spond. ad  
 hunc annū.  
 Chytra<sup>o</sup> l.  
 22. Saxon.



Ova belli tempestas Christianæ Reipublicæ hoc anno intentata est à Turcarum Imperatore Selymo, quem ante annos quatuor, in expeditione Sigethana, Solimanno patri suffectum esse, diximus. Hic, tametsi paulò antè renovâsset pacem cum Venetis; eâ tamen superbè ruptâ, Legatum Venetias miserat, qui vel insulam Cyprum sibi tradi posceret, vel senatui, populòque Veneto bellum indiceret. Mirari tam insolentem postulationem Veneti; statimque Legatum hunc à se rejicere, cum hac brevi responsione, perferenda Selymo: *nullam à se causam fedisfragis ejusmodi invasionibus datam esse; atque ideo, si innoxiiis bellum inferre cogitet, sperare se, divinum sibi auxilium non desore.* Mox etiam à Pio V. Pontifice per Oratorem suum petere, ut iniquè oppressis auxilium ferret, & aliorum quoque Principum subsidia, contra communem hostem, præproperè sollicitaret. Neque defuit sanctissimus Pontifex tam devotis Venetorum precibus: misitque illico suos Oratores, qui ab Hispaniæ, Galliæ, ac Lusitaniæ Regibus, auxilia maritima contra Selymum invasorem poscerent. Interea Turcæ ad insulam Cyprum adnavigabant cum ingenti classe ducentarum & ampliùs instructissimarum navium, è quibus, nullo resistente, quinquaginta peditum selectorum millia in terram exposuere. Ab his ductore Mustaphâ, qui terrestri exercitui cum imperio supremo præerat, exeunte Julio, primùm obsideri cœpta est Nicosia, totius insulæ caput & metropolis. Et quia hæc urbs debiliori præsidio tenebatur, neque classis Christiana, quæ ob ducum suorum dissensionem cum octoginta, centumque navibus otiosè hærebat ad insulam Cretam, factis maturè in urbis auxilium venit; post quadraginta dierum obsidionem, sexto Iduum\* Septembris à Turcis expugnata est, occisis eâ die Christianorum viginti millibus, reliquis verò in miserissimam servitutem abductis.

Famagustæ  
 urbis obsi-  
 dionem in-  
 ceptam de-  
 serit,  
 Spond. n. 15  
 Chytra<sup>o</sup> ib.

Urbe captâ, reliquæ Cypriorum urbes & oppida facillimè in prædicti Mustaphæ potestatem devenere, præter Famagustam, situ & arte munitissimam. Quam ut metu ac terrore cogeret, Nicolai Dandali, Nicosiensis Præfecti, caput, Marco Antonio Bragadeno, Famagustensi Præfecto, misit, severè, barbarèque comminans, eandem ipsi fortunam subeundam esse, nisi urbem istam

quan-



quantocyus dederet. Sed, cum ille hujusmodi minas flocci faceret, jamque Ottomannis aliquoties à primis aggressionum suarum initiis ostendisset, sibi cum viris fortissimis rem gerendam esse; tandem, de hac urbe ante hiemem potiunda desperans Mustapha, receptui cecinit, relictoque intrà insulam sufficienti praesidio, Constantinopolim reversus est. Oportuerat vel tunc eos, qui classi Christianorum praerant, insigne aliquid in hostem aggredi, ne tanti bellorum apparatus inutiles forent. At, cum illi propter continuas animorum dissensiones omnem aliquid audendi occasionem è suis manibus elabi sinerent; insuperque Joannes Andreas D'oria, Hispanicarum navium Praefectus, ineunte Octobri maturaret reditum in Siciliam: totus hic annus, nullâ re praecclare gestâ, infructuosissimè consumptus est, cum ingenti non modò sumptuum impensorum; sed etiam plurimarum navium, adversis tempestatibus in infelici reditu disperseuntium, detrimento.

Maximilianus Imperator, cui tunc temporis adhuc fluebant induciæ cum Turcis initæ, bellum istud quietis oculis aspectabat: interimque duas filias, nempe Annam natu majorem, Philippo, Hispaniarum Regi, & Elisabetham sedecim annorum adolescentulam, Carolo IX, Galliarum Regi, in matrimonium tradidit. Prior harum sextili mense usque in Belgium deducta est à Joanne de Hoja, Paderbornensis, Monasteriensis, & Osnabrugensis, Ecclesiarum, Episcopo: altera verò mense Octobri in Galliam deducta est à Jacobo, Trevirorum Archiepiscopo, ex antiqua & perillustri Eltziorum familia, genito.

Ambarum nuptiæ, atque indè secuta trium Regum potentissimorum conjunctio, plurimum contulere ad conservandam Germaniæ pacem: quæ Episcopi non pauci ad suarum Ecclesiarum reformationem pientissimè usi sunt. Etenim (ut omittam alios, qui extra Westphaliam sunt) Joannes de Hoja, Episcopus noster in Osnabrugensi Diœcesi sua, Lutheranis erroribus non parùm dedita, severissimè præcepit, ut ibidem bis in anno, videlicet in vere & autumnò, celebretur synodus Diœcesana; & omnes Clerici, qui huic non interfuerint, gravioribus poenis, etiam per implorationem brachii secularis (cum opus fuerit) ad obediendum compellantur. Literæ Joannis Episcopi, ea dere ad Conradum von der Burg, Officialem, seu Vicarium Osnabrugensem datæ, hoc modo sonant:

**J**oannes, Dei et Apostolica Sedis gratiâ, Episcopus Osnabrugensis, Monasteriensis, et Paderbornensis etc. *Quamquam sacrosanctis œcumenicis conciliis, et Canonicis constitutionibus, pro conservatione doctrinæ Catholicæ salubriter cautum et provisum esse, reperiatur, ut quolibet*

Nihil interim agente Christianorum classe, ferè centum & octoginta navium. *Gabut. loc. cit. n. 212. Spond. hic n. 15 & 16. Chytrae ad hunc ann.*

Maximilianus Imperator filias suas, Annam & Elisabetham, Hispaniæ, Galliæque Regibus in matrimonium tradit. *Spond. hic n. 19.*

*Chytraeus l. 22. Saxon. ad hunc annum.*

Joannes de Hoja, Osnabrugensis Episcopus, gravissimè præcipit, ut Osnabrugibus in anno celebretur synodus Diœcesana. *ex actis synodalibus Ecclesie Osnabrug. Colonie*

*anno 1653.*

an-



anno bis *Dioeclesiana* Synodus celebretur, in eaque omnes jurisdictioni *Dioeclesiana* subjecti *Praelati*, *sacerdotes*, et *Pastores*, sub penis *Canonice* obedientissime comparere teneantur: hisce tamen non obstantibus, non sine magna animi nostri perturbatione comperimus, hujus nostrae *Dioecesis* *Osnabrugensis* *Pastores*, nostraeque ordinariae jurisdictioni subjectos *Curatos*, non solum in magnum *Canonicarum* constitutionum contemptum; sed et in notabile *secularium* scandalum, hoc praecipue deplorato, et dissidiis intricato tempore, potissima ferè ex parte ex dictis annis Synodis contumaciter omnino et absque legitima causa emanere. Cum autem officii nostri *Pastoralis* sit, similibus gravioribus excessibus opportunis remediis in tempore occurrere, tibi serio, et clementissime committimus, quatenus omnes et singulos *Pastores*, ceterosque alios *Ecclesiastici* status viros, *Dioeclesiana* nostrae jurisdictioni subjectos, et synodalibus conventibus de jure, vel de consuetudine interesse obligatos, moneas, iisque districtè nomine nostro, sub comminatione pena, sacris *Canonibus* contra similes contumaces expressa, et alterius insuper notabilis arbitrariae multa pecuniariae mandes, ut rejecta omni remora, in consuetis nostris *Osnabrugensibus* synodis, obedientissime compareant, nec sub ullo quasito colore (nisi urgente et legitima ex causa, vel corporis adversa valetudine, de quibus tamen certam fidem facere teneantur) ab iis emanere praesumant. Si jam verò spretis hisce nostris salutaribus monitionibus (quod tamen de nullo confidimus) unus vel plures se à saepe dictis synodis absentare, obstinate praesumerent; tibi hisce expressè mandatum volumus, contra tales rebelles, et contumaciter absentes non solum ad penas *Canonicas*; sed et ad comminatam multam pecuniariam, summarie in cotinenti procedas: eosque in penam utramque incidisse declaratos, ad actualem solutionem competentibus mediis de facto constringas. Quo etiam promptius et expeditius seriam hanc nostram voluntatem per omnia exequaris; vigore hujus omnibus nostris *Drossardis*, *Quaestoribus*, et *Officiatis* *secularibus* quibuscunque serio mandamus etc. - - - Data ex nostra *Episcopali* *Residentia* *Iburgensi*, *Veneris* die *XIII* *Januarii*, Anno *MDLXX*.

Idem Paderbornensi Capitulo mandat, ut omnes Archidiaconi suas Ecclesias visitent earumque statum sibi exponant. ex antiquis MSS.

Non minori sollicitudine idem *Joannes* *Episcopus* curavit rem Catholicam in *Episcopatu* nostro *Paderbornensi*. Audièrat, & hic aliquam *Religionis* novationem recenter attentatam esse in quibusdam pagis & oppidis, praesertim verò in *Baronatu* *Büreno*; ubi ante unum alterumve annum *Joannes* *Dynasta* ac *Nobilis* *Domini* *de* *Büren* ab antiqua *Majorum* suorum *Fide* ad *Evangelii* *Lutherani* dogmata transgressus erat. Itaque ut hujus mali progressum quantocyus praepediret, die 23 *Januarii* literas admodum severas ad *Capitulum* *Cathedrale* dedit: jussitque, ut omnes *Archidiaconi* suas *Ecclesias* quam primùm visitent; &, quis earum status, quae *Religio* in *parochianis*, *parochisque* sit, *Celsitudini* suae singil-



singillatim exponant. Paruerunt ii protinus huic mandato; antequam alios Wilhelmus de Westphalen, majoris Ecclesie Præpositus, cujus Archidiaconatus Dynastia Bûrana suberat, de suarum Ecclesiarum statu, die septimâ Aprilis, hoc modo \* retulit: *Visitationem synodalem præteritâ quadragesimâ diligentissimè à se peractam esse per suos Commissarios, Georgium Holtbussen, Ecclesia Forensis in urbe Paderbornum, et Jodocum Otterjäger, summa adis Beneficiatum. Ex eorum fidei relatione parochiales Ecclesias, Saltzkottensem, Delbrugensem, Eltensem, Bokensem, Thülensem, Vernensem, Borchensem, Bekensem, Schwaneiensem, Dahlensem, Dornhagensem, Bödekensem, Harensem, Brenckensem, ac Tudorpiensem (vulgò Tüerpke) adhuc esse in optimo statu; nihilque inibi repertum esse, quod Catholica Religioni, et antiquæ nostrarum Ecclesiarum consuetudini adversetur. Contra verò Bûrena, et in pagis ad Bûrensem Dynastiam pertinentibus, Pastores omnes esse hæreticos, et Fidei Catholicae desertores: non comparuisse in synodo, non habere oleum pro infirmis, non asseruare in templis Venerabile Sacramentum, non adhibere in baptismo aquam benedictam, omniâque alia more Lutheranò agere. In pago etiam, castròque Wewelsburgensi (quod eo tempore à Dynastis Bûrensibus, ex Erici Antistitis oppignoratione, tenebatur) ab iisdem Dominis intrusum esse Præconem aliquem Lutheranum, Brunsvico adductum, nullisque sacris Ordinibus initiatum: qui non modò vicinis Pastoribus novo Sacramentorum, verbique ministerio suas oculos abstrahere satagat; verùm etiam ante dies paucos, cum vir aliquis probè Catholicus, mortique proximus extrema sacramenta sibi ritu Catholico ministrari, petisset, modis omnibus id impediuerit, edixeritque \* moribundo, cum, si Catholico ritu præmunitus mortem oppeteret, certissimè damnatum iri, neque unquam ad æternæ salutis gaudia pervenire posse. Denique etiam Paderbornâ intrâ urbem Pastores omnes ritu quidem Catholico hucusque vivere, agere, ac docere; eos tamen hoc anno sibi conquestos esse, quòd in proximo festo Paschatis nemo ipsorum numeraverit ultra decem vel duodecim viros adultos, divino epulo refectos: ceteri verò omnes, contempto sacerdote proprio, aut Wewelsburgum ruerint ad præconem supra dictum; aut in Oistfchlangen, Lippiaci comitatûs pagum, tribus fere horis Paderbornâ dissitum.*

Hæc & alia prolixè memorat Wilhelmus Præpositus in suis literis ad Capitulum Cathedrale datis, additque insuper, se jam ante medium annum contra novationes, in Dynastia Bûrana cœptas, auxilium flagitasse à Joanne Episcopo: hujus autem cunctatione non modò pestem illam tam celeriter increvisse; verùm etiam adhuc majora illius incrementa formidari posse, nisi ab Episcopali Celsitudine sua, primis hæreticarum novationum principiis, efficacius obsistatur. Quo audito Joannes Episcopus, ne quare istius culpa

Wilhelm<sup>9</sup> de Westphalen, majoris Ecclesie Præpositus, denuntiat, Joannem Dynastam Bûranum recenter à Fide Catholica defecisse & cum eo simul omnes Ecclesias in Bâronatu Bûrano sitas: \* Litera Wilhelmi Præpositi, in archiv. Bûrensi.

\* ex iisdem literis.

Addit insuper, cives Paderbornenses aliorum excurrere ad Prædicantes acatholicos,



Joannes Episcopus jubet omnes Pastores acatholicos ex Diocesi Paderbornensi ejici. *Ex veteribus mss.* Simulque; se-  
verè præcipit, ne quis extra Episcopatum ad alios concionatores Lutheranos eat.

culpa in suam tarditatem refundi posset, continuo securim arbori apposuit. Ac tamen si Dynastam Būranum à doctrinæ Lutheranæ complexu divellere non valeret: parochias tamen omnes, in ipsius Baronatu ac dominio sitas, ab hæresibus expurgavit, Pastores illegitimos, aut Catholicæ veritatis desertores ejecit, novos alios, antiquæ Fidei defensores iisdem substituit, gravissimèque simul præcepit omnibus tam Paderbornæ, quàm aliarum urbium aut pagorum inquilinis, ut in posterum nemo, verbi divini aut sacramentorum accipiendorum causâ, extra suam parochiam ad alios aliorum locorum concionatores adeat; sed in sua quisque parochia legitimo Pastori suo & ejusdem doctrinæ fideliter adhærescat. Id quod etiam pro singulari, quâ pollebat, auctoritate & potentia sua sic effecit, ut eo vivente Lutherana hæresis in Episcopatu nostro pedem, sedemque figere non potuerit.

*Ex veteribus mss.* Laurentius Surius Carthusianus Coloniae cæpit hoc anno edere vitas Sanctorum. *Ex literis Pii V. ad Surium.* Laudatus idcirco à Pio V. Pontifice.

Coloniae per hæc tempora Laurentius Surius, Carthusianus, vir in omni literatura versatissimus, post evulgatam sui temporis historiam summo studio se applicuit ad conscribendas veterum sanctorum vitas; quarum tomus prior, sive Januarius, hoc anno editus, & Pio V. Pontifici transmissus est. Legit hic volumen istud non sinè maxima voluptate animi, simulque auctorem ejus benignissimis literis impensè adhortatus est, ut in opere incepto pergat; nihilque dubitet, saluberrimum hunc laborem à Deo, bonorum omnium retributore, copiosè remuneratum iri. Qua de re supersunt hujusmodi literæ, tomo primo præfixæ:

**P**ius Papa V. Dilecto filio, F. Laurentio Carthusiano. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Librum, sanctorum Patrum vitas continentem, à te nuper editum, atque ad nos missum, libentissimè accepimus. Qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quod opus in se contineat à nobis semper desideratum, et ad refellenda hæreticorum in easdem sanctorum Patrum historias maledicta aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuum: teque, quod coram Domino vacuus apparere nolueris; sed in ejus domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quidquid potueris, ultro obtuleris, debitis in Deo laudibus commendamus. Cujus tamen laudabilis laboris tui gloriam in primis ei tribuendam esse, memento, à quo accepisti et velle et perficere, quod et à nobis, et ab omnibus piis et Catholica Religionis studiosis, meritò laudaretur. Hortamur autem te, ut hujusmodi opere prosequendo, et de Ecclesia Dei bene mereri, et tibi apud omnipotentem Deum merita augere, ne desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 2. Junii, MDLXX. Pontificatus nostri anno quinto.



## Annus Christi 1571.

PII V. Pontificis 6.  
 MAXIMILIANI II. Imperator. 7. & 8.  
 JOANNIS II. Episcopi Pad. 4.



Magnam hujus anni partem consumpsere Veneti in percutiendo foedere triplo cum Pio V. Pontifice, & Philippo, Hispaniarum Rege. Tandem vero hoc negotium, decimo tertio Kalendas Junii, feliciter confectum est multis conditionibus: quarum prima ac præcipua erat, ut à foederatis in bellum Turcicum apparentur triremes ducentæ, onerariæ centum, copiarum pedestrium quinquaginta millia, equestrium verò quatuor millia & quingenti. Sed, priusquam hæc omnia pararentur, classis Turcica jam in mare Ægeum ierat: exspoliatisque multis Venetorum insulis, Famagustam urbem situ & arte munitissimam (quæ sola Venetis in Cypro adhuc supererat) medio ferè Majo obsidere cœperat, expositis in terram quinquaginta & amplius Turcarum millibus. Præerat huic urbi Marcus Antonius Bragadenus, Patritius Venetus; qui eam singulari virtute & fortitudine sua per bimestre spatium tam egregiè defendit, ut æternam sui nominis memoriam promeruerit. Nec minorem animi generositatem ostendere ceteri ejusdem urbis inquilini. Nam & ipsæ mulieres in suos manipulos distributæ, præeunte & imaginem crucifixi præferente Græco monacho, quotidie procurrebant in urbis mœnia; & ubi fortior Turcarum assultus erat, vel arreptis armis in eosdem irruebant, vel saxa, truncos arborum, & quidquid ad hostes avertendos idoneum videbatur, indefessis conatibus apportabant. Sed, quia post longas mensium duorum moras, & assiduas concertationes nulla à Venetis auxilia comparuere; tandem Bragadenus, plurimorum civium sollicitatione victus, ineunte Augusto deditioem cum Turcis pepigit hisce legibus: ut Italici pedites cum suis ducibus, armis, et impedimentis omnibus in insulam Cretam perferrentur: Epirotæ et Græci perducerentur, quocumque ipsimet vellent: ceteri verò Græcorum civium, qui abire nollent, unâ cum uxoribus, liberis, fortunisque suis, non solum ab omni injuria immunnes essent; verum etiam in Christiana Religione sua tutò permanere, eamque in duobus templis, ipsorum usui permittendis, exercere et colere possent.

Hi deditiois articuli, quarto Nonas Augusti, à supremo Turcarum præfecto Mustapha subscripti, & juramento in Mahometis Alcoranum edito confirmati sunt; postea tamen ab eo rursus

Veneti contra Turcas percutiunt foedus cum Pio V. Pontifice, & Philippo Hispaniarum Rege.

Spond. hic n. 2 & 3.

Gabur. in vita Pii V. 10. 1. 55.

Maji. n.

223 & seq.

Famagusta,

Cypri urbs,

à Turcis invaditur, &

superatur.

Spond. hic

n. 10 & 11.

Gabur. ib.

n. 259.

Bragadenus, gubernator urbis, contra datam

F ff

foediffi-

AN-



fidem cru- foediffimè rupti. Cùm enim Bragadenus urbe deditâ, priusquam  
deliffimè navigaturus in Cretam pelago se committeret, unâ cum reliquis  
necatur: belli ducibus ac militibus fuis, honoris exhibendi causâ, ad Musta-  
*Spond. hic* pham accessisset; nescio, qua de causa irritatus barbarus, post fa-  
*n. 12.* miliaria quædam colloquia, eosdem omnes comprehendi iussit. Et  
Bragadenus quidem inter varias illusiones continuò ambabus au-  
ribus mutilatus fuit, cum hac blasphema interrogatione: *ubi est*  
*Christus tuus, qui tibi opem ferat?* Deinde post dies aliquot, cùm  
ad abjurandam Religionem Catholicam sæpe frustra sollicitatus ef-  
set; nudo corpore ad columnam vinctus, & inspectante, jubentéque Mustaphâ, membratim suâ pelle vivus exutus est. Quod  
ille supplicium, inter assiduas divini auxiliû invocationes, invictâ  
animi constantiâ ac fortitudine tam diu generosè pro Christo per-  
tulit; donec tortore ad umbilicum progresso, è copiosiore san-  
guinis erumpentis profluvio, pientissimam animam exhalaret. Nec  
multò mitior fuit ejusdem tyranni furor in omnes alios Venetorum  
duces ac milites: utpote quos eodem perfidiæ exemplo, vel trire-  
mibus addixit, vel vario mortis ac suppliciorum genere è vita su-  
*Spond. ib.* stulit. Hunc finem habuit celeberrima illa Famagustæ urbis oc-  
cupatio, quæ post Nicosiam, anno superiore captam, Cypri to-  
tius possessionem ac dominium Ottomannico Imperio dedit.

Christiano- Neque ad eam recuperandam valuit Christiana classis, tandem  
rum classis exeunte Septembri veniens. Nam eo tempore terrestrium copia-  
duce Joanne Præfectus Mustapha cum ingenti præda jam rediêrat Con-  
ne Austria- stantinopolim, & immansuetior anni tempestas non permittebat  
co serius advenit: amplius graviolem obsidionem aggredi. Classis tamen Ottomanica  
*Spond. hic* hærebat adhuc apud insulas Echinadas (hodie mutato nomine  
*n. 14.* *Gabut. in* *Curzolari* dictas) ubi illa, Nonis Octobribus, exoriente sole in con-  
*vita S. Pii* spectum nostrorum venit. Eâ visâ Christiani statim comparârunt  
*v.* se ad prælium: atque ut omnia feliciter evenirent, primùm omnes  
Animosè tamen clas- brevi peccatorum confessione expiati sunt, cum plenaria culparum  
sem Turci- indulgentia, à Pio V. concessa. Mox etiam Joannes Austriacus,  
cam adori- Caroli V. Imperatoris, filius nothus (qui navali huic militiæ cum  
tur, & uf- summo imperio præerat) conscensâ celoce mediam aciem circum-  
que ad in- vectus est; simulque idipsum in cornu dextero per Ludovicum  
ternecioné cædit, No- Requesenium, & in sinistro per Marcum Antonium Columnam  
nis Octo- fieri præcepit. Una horum trium adhortatio erat: *ut quisque lo-*  
*Spond. n. 15* *cum suum teneret fortiter, animoque suo reputaret, præclare secum agi,*  
*& seq.* *sive in prælio caderet, sive ex eo incolumis rediret. Si caderet: glorio-*  
*sum ei fore pro Deo mori, et obtentâ peccatorum suorum indulgentiâ bea-*  
*tis spiritibus in calo consociari. Si autem incolumis evaderet: gloriosum*  
*pariter ei fore, tam felici (ut sperabatur) prælio interfuisse. His auditis*  
miri-



mirificè accensi sunt Christianorum animi, quorum egregia clas-  
 sis plùs quàm ducentis navibus, & selectissimo ducum, ac militum  
 flore, instructa fuit. Initium certamini datum circa meridiem,  
 pugnatumque solùm per quatuor horas: quarum spatio Christia-  
 ni, favente Deo, tam insignem à Turcis victoriam retulère, ut fer-  
 mè à condito Romano Imperio nulla major in mari obtenta fue-  
 rit. Nam hoc prælio in Christianorum potestatem venère Turci-  
 carum navium ferè centum & nonaginta, omni apparatu bellico  
 & commeatu refertissimæ: octoginta aliæ biremes, ac triremes,  
 aut flammis exultæ, aut scopulis diffractæ, aut alio modo lethali-  
 bus undis absorptæ sunt. Numerus occisorum hostium ascen-  
 disse fertur ad viginti quinque, vel triginta millia; quos inter ipso-  
 rum Archithalassus Halis, matrimonio conjunctus cum sorore Se-  
 lymi Imperatoris: captivorum verò ad tria millia, & quingentos,  
 inter quos pariter multi viri præcipui cum duobus, Archithalassi  
 occisi, filiis, è Selymi sorore genitis. Denique & hac victoriâ è  
 servitute Turcica in libertatem rediære quindecim millia Christia-  
 norum, qui annis prioribus capti, & ad remos in barbarorum na-  
 vibus constricti fuerant: contra verò ex parte foederatorum ceci-  
 dère tantùm septies mille, quingenti, & sexaginta sex.

Prodigiosæ hujus victoriæ nuntius, ut primùm ex oriente in  
 occidentem perlatus est, incredibilem toto orbe Christiano læti-  
 tiam peperit. Et Pius V, qui triumphum hunc Beatæ MARLÆ  
 Virginis patrocinio potissimùm adscribebat, in perpetuam rei tan-  
 tæ memoriam Litaniis Lauretanis aeternùm inseri, atque inscribi  
 \*jussit hæc verba: *Auxilium Christianorum, ora pro nobis.* Commu-  
 nis omnium existimatio erat, victoriam hanc aliarum plurium vi-  
 ctorarum prodromam, & quasi matrem fore; præsertim cum ex  
 primo ejus rumore Constantinopolis tota cum universa Thracia,  
 ac Peloponneso contremisceret. Sed eheu! fructum alium non at-  
 tulit, quàm quòd Christiani Turcis ostenderint, nullam eorum  
 vim adeò præpotentem esse, quæ à Christianis vinci nequeat, si  
 vires & arma fociant. Nam interea, dum foederati suas naves re-  
 pararent, ac dividerent spolia; October ad finem properans, ob  
 imminentes hiemis procellas, domuitionem suadebat. Et quia Pius  
 V, tanquam præcipuus Christiani illius foederis & consociationis  
 auctor, sequenti anno celeriori morte è rebus humanis abiit; etiam  
 illud sanctum foedus paulatim elanguescere, ac demum penitus  
 dissolvi coepit: cum Veneti statim altero post mortem anno clan-  
 culum ferirent pacem cum Selymo, & Cyprum, insulam poten-  
 tissimam, in ejus manu relinquerent.

Captæ sunt  
 hoc prælio,  
 Turcarum  
 naves ferè  
 centum &  
 nonaginta;  
 octoginta  
 aliæ peni-  
 tūs everfæ.  
*Spond. hic  
 n. 20.*

*Gabuti<sup>o</sup> in  
 vita Pii V.  
 Occisa Tur-  
 carum ferè  
 triginta  
 millia, ter  
 mille &  
 quingenti  
 capti, re-  
 dempti è  
 servitute  
 barbarorū  
 quindecim  
 mille Chris-  
 tiani,  
 Gabut, loc.  
 cit. n. 289.  
 Spond. ib.  
 Pii V. gau-  
 dium de ta-  
 li victoria.*

\**Spond. hic  
 n. 11.  
 quam Chris-  
 tiani, præ  
 dolor! per-  
 secuti non  
 sunt annis  
 sequentib<sup>9</sup>,  
 Gabut, loc.  
 cit. n. 312.  
 & 297.*

*Etiam insu-  
 lā Cypro in  
 Turcarum  
 manibus re-  
 licta.  
 Gabut, n.  
 312.*



Joannes de Hoja Episcopus jubet in Osnabrugensi diocesi sua promulgari concilium tridentinum, & recipi catechismum ex ejusdem concilii decreto editum.

*Ex actis synodalibus Eccl. Osnabrug.*

Litera Joannis Episcopi hac de re, ex iisdem actis.

Memoravi hæc paulò fusiùs, quòd Cyprii belli fama eo tempore totius Europæ aures & ora compleverit. Nunc in Westphalam redeo; & ea, quæ à Joanne Antistite nostro per hunc annum gesta sunt, breviter adjungo. Studuerat ille diu, in suis Episcopatibus, ac præcipuè in Osnabrugensi, Lutheranis erroribus magis infecto, Catholicæ Religionis cultum nitenti pristino restituere. At, ubi postmodum experientiâ magistrâ didicit, omnem probæ Catholicæq; institutionis defectum ex eo maximè proficisci, quòd ipsi animarum curatores, & parochi in rebus credendis minimè versati sint, neque satis nôrint, Catholicæ Religionis dogmata à Lutheranis erroribus discriminare: tandem hoc anno Tridentini concilii doctrinam per Dioccesin Osnabrugensem promulgari; & Catechismum, ex ejusdem concilii decreto editum, ab omnibus animarum curatoribus examissim observari ac teneri iussit. Litera mandatoria, ea de re ad Osnabrugensem Officiale seu Vicarium generalem data, hoc modo habent:

**J**oannes, Dei et Apostolica Sedis gratiâ, Episcopus Osnabrugensis, Monasteriensis, et Paderbornensis, Comes de Hoja. Honorabilis, et sincere nobis dilecte etc. Cùm non sine maximo animi nostri mœnore intellexerimus, jam dudum varias, erroneas, et orthodoxa nostra Religioni contrarias, etiam in punctis Fidei passim à Pastoribus, præcipuè per hanc nostram Dioccesin Osnabrugensem, doceri opiniones, easque in rudi et simplici populo perniciosissimè disseminari: causam verò hujus mali inde vel maximè profluxisse adverterimus, quòd rudibus et indoctis plerumque Pastoribus certa et aperta Christiana veritatis articulorum breviter comprehensa, ac typis divulgata methodus (secundùm quam pede inoffenso et se, et suos simplices subditos dirigant) ubique ferè defuerit; et hoc quidem per incuriam eorum, qui, licet in specula vigilantia Episcopalis constituti fuerant, hisce tamen malis hæcenus inexcusabili torpore indormierunt: Nos itaque, pro officio nostro Pastoralis, damnatis illis dogmatibus tandem aliquando finem imponere satagentes, sacrosanctam generalem et œcumenicam Tridentinam synodum, nec non ab eadem synodo præscriptum Catholicum, et orthodoxum catechismum (utpote in quo Romana Catholica Religio ordinatè, fundamentaliter, et integre continetur, quémque propterea primâ die imprimi curabimus) per dictam nostram Osnabrugensem Dioccesin observari, volumus. Ne autem Pastores, tanquam hujus nostra decreta resolutionis ignari, ullam habeant excusationem prætere, hisce clementissimè tibi committimus, et mandamus, ut hanc nostra mentis intentionem in proxima vernali synodo, cum prælectione nostri adsumpti synodalis decreti de recipiendo et servando in posterum per Dioccesin nostram Osnabrugensem concilio Tridentino, ejusque catechismo, debitè insinuari, publicari, et intimari facias: iisque proinde nomine nostro sedulò

et



et severè injungas, ut sese (sicut in decreto transmissio latius continetur) per totam Dioecesim nostram Osnabrugensem, tam in ceremonialibus, quàm doctrinalibus, sub comminatione gravissima multa, inò et actuali privatione suorum Pastorum, et cura commissa, sepe dictis Tridentina Synodo et catechismo conformiter per omnia gerant. --- Quod nostrum propositum, quò faciliùs et maturiùs effectui demus, et per hoc quoscunque inutiles et inqualificatos Pastores penitus exterminemus; aliam adhuc reformationem confici, tibi que extradi curabimus. --- Ex Residentia nostra Episcopali iburgensi, XVIII Martii, Anno MDLXXI.

Non minori curâ & sollicitudine laudatissimus hic Episcopus concilium Tridentinum, & catechismum ex ejusdem concilii decreto editum, promulgari, ac recipi fecit Paderbornæ, ac Monasterii. Qua de re, licet hæctenus nullum in archivis nostris mandatum viderim, absolutam nobis evidentiam & certitudinem ingerunt Pii V. Pontificis literæ, inferiùs apponendæ. Ab hoc enim Joannes Episcopus licentiam hoc anno petiit, non solum pro Dioecesi Osnabrugensi; verum etiam pro ceteris Dioecibus suis, earumque subditis, catechismum supra dictum recudendi, & ubi opus fuerit, in sermonem germanicum fideliter transferendi. Id quod ei pro salute suorum subditorum benignissimè indultum est hisce literis Pontificiis:

**P**apa V. Venerabili fratri Joanni Episcopo Monasteriensi, ac Osnabrugensi, et Paderbornensi Ecclesiarum, Administratori. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, quòd pro tibi injuncto munere Pastoralis, hoc tempore maxime cuperes, quàm plurima catechismi Romani, ex decreto sacri concilii Tridentini, editi exemplaria in tuis civitatibus et Dioecibus, ac earum oppidis, villis, pagis, ac monasteriis haberi et divulgari; ac in unaquaque Cathedrali, Collegiata, Claustrali, parochiali que Ecclesia, unum exemplar appendi, quòd populus ex eo erudiri, et ab omnibus legi, et palam inspicere possit. Verum, quia tot exemplaria in istis partibus vix haberi possunt, ut pio huic tuo desiderio satisfieri valeat; Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, Pastoralem hanc Fraternalitatis tuæ circa gregem tibi commissum curam et sollicitudinem plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi et impressori tuo catechismum prædictum, tam latinum, quàm in vulgarem germanicum sermonem, per aliquem virum doctum, et in Catholica Religione probatum, fideliter translatum, pro usu tuarum civitatum, Diocesum, et locorum prædictorum, juxta tamen exemplum Romanum, nihil prorsus addito, vel immutato, aut mutato, imprimendi, seu imprimi faciendi auctoritate Apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus Apo-

Idem hic fieri jubet in Dioecesi Paderbornensi & Monasteriensi: eoque sine Pius V. ei concedit facultatem recudendi & divulgandi catechismum Romanum.

Literæ Pii V. ea de re: Habentur in fronte catechismi Romani, à Joanne Hajo editi.

foli-



stolicis, prohibitionibusque nostris super hoc emanatis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die III Novembris, MDLXXI. Pontificatus nostri anno VI.

Catechism<sup>o</sup>  
Romanus,  
juxta nor-  
mam Tri-  
dentini  
concilii, an-  
no sequen-  
te editur &  
evulgatur  
Colonie.

Acceptâ hac licentiâ catechismus ille prelo statim commissus, & sequenti anno Coloniae typis Caleniis latinè evulgatus est cum hoc titulo, fronti præfixo: *Catechismus ex decreto concilii Tridentini ad Parochos, antè quidem Pii V. Pontificis maximi jussu conscriptus; nunc autem in III. libros, certâque capita distributus, et summaris capitum, pluribusque ad marginem scripturarum, ac Patrum testimoniis illustratus, nihil interim prorsus in textu addito, imminuto, aut mutato. Mandato et auctoritate Reverendissimi in Christo Patris, S. R. I. Principis et Domini, D. Joannis, ex Comitibus de Hoja, Episcopi Monasteriensis, nec non Osnabrugensis, et Paderbornensis Ecclesiarum, Administratoris perpetui, editus Coloniae apud Gerwinum Calenium, et heredes Quentelios, Anno Christi nati MDLXXII.* Neque dubito, quin utilissimum opus illud etiam paulò post pro usu totius populi in linguam germanicam translatum fuerit; nisi forsan præmatura ejusdem Episcopi mors meditatam editionem sufflaminaverit.

Mortuo  
Theodotico,  
Plessen-  
sium dyna-  
starum ulti-  
mo, Wil-  
helmus  
Hassie  
Landgravi<sup>o</sup>  
dynastiam  
Plessensem  
occupat.

*Dilich. in  
chron. Haf.  
Paderborn-  
ensis Ec-  
clesiæ anti-  
quum jus in  
eandem  
dynastiam.  
\*vide Scha-  
ren. ad an-  
num 1015.  
\*Littera  
Henrici IV.  
Imperato-  
ris de anno  
1192.*

*\*Diploma  
hoc vide  
apud Scha-  
ren. ad an-  
num 1196.*

Fatalis etiam hic annus fuit perantiquæ dynastiarum Plessensium familiæ; quorum ultimus, nomine Theodoricus, posteaquam è defuncto filio suo Christophoro prolem masculam non recepisset, vitam ac seriem suorum decessorum hoc anno clausit die vicesimâ 2dâ Maji. Dynastiam hanc, arcemque Plessensem continuò post mortem ejus occupavit Wilhelmus, Hassiæ Landgravius: quò autem id jure vel obtentu fecerit, nusquam apud auctores mihi notos invenio. Sanè locum istum unâ cum prædiis quàm plurimis ex donatione B. Meinwerici ad Paderbornensem Ecclesiam pertinuisse, liquet ex ejusdem Episcopi vita, quæ tomo I Ss. Junii c. 4. in fine, sic habet: *Episcopus autem de bonis hereditariis in Saxonia positus, urbem sitam in loco, qui Plesse dicitur, cum undecies centum mansis jam antè Ecclesiæ traditis, ipso die (quo\* nimirum dedicata est major Basilica) recognoscendo et reiterando Ecclesiæ delegavit et confirmavit.* Ac tamen postmodum anno 1192 Bernardus II. Paderbornensis Episcopus, Plessense castrum Henrico VI. Imperatori cesserit, illudque permutarit cum aliis quibusdam bonis ac prædiis\* vicissim redditis; ea tamen permutatio triennio post, nimirum anno 1195, ab eodem Imperatore propter apertam Ecclesiæ nostræ læsionem novo diplomate\* revocata & rescissa est, adjectis hæc verbis: *Mandamus igitur, et districtè præcipimus, quatenus jam dictus Episcopus, et Ecclesia Paderbornensis castrum Plesse, et universa ejus pertinentia cum omni jure et plenitudine, sicut prius habuerant, deinceps teneant, et in pace possideant, et in nullo unquam in iisdem bonis et castro*

mole-



*molestentur.* Post aliquot deinde annos, uti refert eruditissimus Adolphus\* Overham, Plessensis Dynastia ab Episcopo Paderbornensi feudi titulo concessa est familia Nobili, à qua Plessenses Dynastia orti, dictique. Et anno 1300 Joannes Nobilis de Plesse Bernardo Episcopo, & Ecclesiae Paderbornensi homagium, ut vocant, praestitit\* ratione castri Plesse, & villae Hammenstede, circa festum Ss. Apostolorum Simonis & Judae. Nec ambiguum est mihi, quin plures aliae talium infeudationum literae adhuc inveniendae sint in archivo nostro Dioecesano; dummodo veteres illius tabulae eo modo, quo tabularium Ecclesiae Cathedralis, diligenter perquisitae, & in bonum, perfectumque ordinem redactae forent.

\*in Notis  
ad v. 1. a. n.  
B. Mei-  
weri pag.  
351.  
\*Overham  
loc. cit.

## Annus Christi 1572.

PII V. Pontificis	ultimus.
GREGORII XIII. Pontificis	1.
MAXIMILIANI II. Imperat.	8. & 9.
JOANNIS II. Episcopi Pad.	5.



Ultra & magna hoc anno moliebatur Pius V. Pontifex ad prosequendam superioris anni victoriam, & obtendas Turcarum vires. At in medio fortunae cursu pia ejus consilia intercepta praematura nimis & prope-  
ra mors. Mense Januario sanctus vir gravius affligi coeperat ex morbo, quem dysuriam vocant. Ac tamen non multo post ex eo paululum respiravit; subinde tamen mense Martio & Aprili malum illud longè pejus recrudit, & accedente senio vires corporis ita enervavit, ut brevi tempore ad extrema deductus, & confuetis Ecclesiae sacramentis maturè praemunitus, Kalendis Maji beatam animam exhalavit. Papalem ipsius thronum, concordibus omnium Cardinalium votis, eodem mense conscendit Hugo Boncompagnus, electus die decimâ tertiâ Maji, & coronatus die vicesimâ quintâ, in festo Pentecostes: qui assumpto nomine Gregorii XIII. laudatissimè praefuit, vir omni ex parte magnus, & Catholicae Religionis ubilibet propagandae studio incensissimus, uti è sequentium annorum decursu manifestum fiet.

Pius V. Pa-  
pa sanctus,  
moritur  
Kalendis  
Maji.  
Spond. hic  
n. 5.  
Gabus in  
vita Pii V.  
to. 1. Ss.  
Maji. l. 5.  
c. 5.

In cujus lo-  
cum eodem  
mense eli-  
gitur Gre-  
gorio XIII,  
dicto antea  
Hugo Bon-  
compagnus.  
Spond. n. 7.

Belgae, pro-  
pter ferocia  
Albani Du-  
cis, non pas-  
sum nutant  
in Fide vel  
obsequio  
Regis Hi-  
spaniarum.

Interea motibus luctuosissimis ardebat Belgium, Albani Ducis ferocia longè magis, quam ab infestis Geusis, ad seditiones & furias concitatum. Potuisset ille Regis Philippi nomine tranquilum, pacatumque regimen obtinere; dummodo victoria, ante quadriennium contra Geusios obtentâ, paulò moderatiùs novisset uti. At ipse, factu Hispano tumidus, ac timeri magis, quam amari cupiens,



cupiens, primò in arce Antwerpiana superbum sibi de subacta Nobilitate, populòque Belgico trophæum condidit, non finè maximâ omnium offensa. Tum deinde ad emungendos provinciarum loculos progressus, inauditum aliquod, novumque tributum genus imperavit: nimirum\* ut de omnibus bonis penderetur semel centesima pars; postea verò in quacunque venditione rerum, de mobilibus penderetur decima, de immobilibus vigesima. Quæ omnia cum Albanus imperiosè magis, quàm providè niteretur extorquere; eam sibi invidiam conflavit in populo, durioribus imperiis infueto, ut ferè jam nihil aliud ad publicam seditionem deesse videretur, quàm novus tympanotriba, qui ferali pulsu commotæ plebis animos ad rebellandum concitaret. Optatissimum id erat Wilhelmo Arausionensi, Geusiorum primipilo (quem vulgò Orangium nominant) credebatque, jam tempus esse maturandi seditionem illam, quam ante quatuor aut quinque annos frustra coeptaverat. Volabat ad ejus obsequium per Hollandiæ, Frisiæque oras non parva classis prædatoriæ navium ferè quadraginta, jam pridem è rapinis & spoliis victitantium: jamque nihil aliud ad majora tentandum deerat, quàm portus aliquis, è quo & securius in Oceanum iri, & urbium vicinarum deditio facilius urgeri posset. Hunc autem, ut obtineret, fortuna viam aperuit per Wilhel-  
 mum Lumæum, Comitem de Marca, ejusque socios, in mari prædam exercentes. Interceperant hi duas naves pretiosis mercibus oneratas, Hispanicam unam, & Antwerpensem alteram: de quibus in tutum reducendis deliberantes, adversâ ventorum vi in Voornam, Hollandiæ insulam, propelluntur. Ibi pro mercatoribus tempestate ejectis habitis, periculo in audaciam verso, Briëlam insulæ istius portum adoriuntur: & priusquam oppidani pro mercibus bellum advehi, intelligerent, insuperabili successu non modo urbem, nemine obsistente, capiunt (quod ineunte Aprili contigit) sed etiam omnes insulanos adigunt, ut, rejectis Albani Ducis imperiis, Wilhelmo Orangio tanquam legitimo Hollandiæ Præfecto, sacramentum dicant.

\* *Haraus in ann. brab. Strada de bello Belg. Dec. 1. l. 7.*

Geusii, Lumæo Duce, Briëlam occupant, insulamque totam adigunt in obsequium Principis Arausionensis, quem vulgò Orangium vocant. *Strada loc. cit.*

*Haraus in ann. brab. Multæ urbes Hollandiæ & Zelandiæ, Ducis Albani odio deficient ad Geusios, eorumque Ducem Orangium. auct. eundem*

Mirum! quàm funesta rerum conversio ad occupatæ hujus insulæ famam, veluti ad elatum seditionis inchoandæ signum, toto ferè Belgio derepente consecuta sit. Plures urbium foederatis ultro favere, nonnullæ etiam eos ad se invitare, aliæ inter foederatos, Regiòsque mediæ, nec Albanum pati, nec à Rege suo deficere: paucissimæ sui obsequii & jurisjurandi memores, pro Hispanis libenter arma induere. Flissinga, Zelandiæ portus, in solenni die Paschatis (utì refert Famianus Strada) Hispanum præsidium ejecit, & in Orangii partes abscessit, ipsomet parochus, suos-

met



met subditos inter concionandum adhortante, ut libertatem ab Hispanis læsam vindicarent. Nec multò post exemplum illud cætervatim secutæ sunt Enckhusa, Horna, Alcmaria, Edamum, Guda, Lugdunum, Dordracum, Gorcomium, Harlemum, & omnis ferme Hollandia. Quo autem furore ibidem Geusii in res, personasque Deo sacras debacchati sint, longum esset hoc loco profequi; mihi satis est, paucissimis verbis attingere ea, quæ ab ipsis Gorcomii gesta sunt cum diversis religiosis & sacerdotibus, Catholicæ Religionis odio postmodum trucidatis. Occupaverant hanc urbem Geusii die vicesimâ sextâ Junii; proximâque nocte etiam in arcem, huic urbi contiguam, recepti erant \* eâ lege perjurandum firmatâ, ut Catholici omnes, qui ibidem erant, salvi & incolumes abire possent. Verùm, quæ fides haberi potest hominibus Deo perfidis, gentique non sanctæ? arce deditâ, comprehenduntur illico religiosi omnes & sacerdotes, qui salutis causâ in eam se receperant: nimirum ex Ordine S. Francisci de strictiore observantia P. Nicolaus Picus, Gorcomiensis monasterii Guardianus, cum aliis octo sacerdotibus, ac duobus Laicis ejusdem Ordinis: è Canonicis Regularibus S. Augustini, Joannes Oisterwicanus, Gorcomiensium sanctimonialium Præses: demum etiam è Clero seculari, Leonardus Vecchelius, Gorcomiensis urbis Pastor primarius, Nicolaus Poppelius, Pastor secundarius, & Godefridus Dunæus, Presbyter, tenui sacerdotio in eadem Ecclesia præditus. Quindecim illi primùm contra juratam Fidem ab hæreticis crudelissimè habiti, in tetrum, foetidumque \* carcerem detrusi, verberibus affecti, pugnis contusi, calcibus imperiti, multisque aliis opprobriis & cruciatibus diu divexati sunt. Deinde nocte illâ, quæ inter diem quintam, \* sextamque Julii intercedit, navali itinere Briëlam abducti ad Wilhelmum Lumæum, hominem truculentum, & Ecclesiastici sanguinis profundendi sitientissimum. Qui eosdem rursus acerbissimis ludibriis, contumeliis, & carceribus fatigatos, tandem die nonâ Julii (quâ festum ipsorum ex Ecclesiæ præscripto agitur) unâ cum aliis quatuor aliunde Briëlam adductis, nimirum Joanne, \* parcho Hornariensi, ex Ordine S. Dominici; Adriano, Parcho in pago Münster, Ordinis Præmonstratensis, Jacobo Lacopio, ipsius adjutore, ejusdem Ordinis: & Andréâ Walteri, presbytero seculari, Parchoque Heinortensi, iniquissimè necari, & in vicini Rüggenensis monasterii horreo è duabus trabibus suspendi fecit. Omnes illi martyrium hoc fortissimè pertulerunt: nihilque ægrius eosdem habuit, quàm quòd alii duo Franciscani Gorcomienses (quos idcirco è Martyrum sanctorum numero prætermisi) in ipso mortis ingressu Fidem, Ordinemque

Geusiorum furor erga res, personasque Deo sacras, paucis ostenditur ex historia Ss.

Martyrum Gorcomiensium.

\* Estius in hist. Mart. Gorcom. 10. 2. Ss. Julii l. 1. c. 1. &

\* Estius ib. l. 1. c. 6. & sequent.

\* Estius ib. l. 3. n. 303. & seq.

Omnes isti, numero novendecim, fortissimè subeunt martyrium.

Ggg

suum



suum abjurârint. Primus horum erat Henricus, Novitius, octo-  
decim annorum juvenis: qui tamen postea juvenilem hunc timo-  
rem deflens, ad Ordinem à se desertum rediit, & in eo vitam pien-  
tissimè conclusit. Alter, Wilhelmus nomine, erat multorum an-  
norum Professus; & idcirco postea divinæ punitionis tristissimum  
exemplum fuit. Cùm enim à deserto Ordine ad militiam Geufi-  
cam se adjunxisset, in eâque brevi tempore se in omnem vitæ li-  
centiam præcipiti lapsu projecisset: eodem anno furtorum causâ  
comprehensus est; & suspendium, quod pro Christo subire no-  
luit, propter commissa scelera perferre debuit, mense tertio post  
necem beatorum Martyrum.

Non minori facilitate procedebant Geufiorum res in Transisa-  
lantia, Geldria, Frisia, aliisque locis, quæ Germaniam confinem  
habent. Nam & ibi Wilhelmus, Bergensis Comes, qui Orangii  
sororem duxerat, seditiones contra Albanum cœptas non instre-  
nuè promovebat: brevique tempore sic invaluit, ut Zutphania,  
Dodecomium, Dûisburgum, Hardevicum, Elburgum, Olden-  
salia, Swolla, Vollenhovia, Stavera, & aliæ urbes non paucæ, vi  
aut metu ad Geufiorum partes pertransierint. At nihil æquè in-  
ter hæc infausta nuntia Albanum perculit, quàm quòd interim au-  
diret, etiam Hannoniæ \* *Montes*, urbem amplam ac præmunitam,  
à Ludovico Nassovio, Gallorum hæreticorum ope, interceptam  
esse. Verebatur enim, ne & Carolus, Galliarum Rex, inter istas  
oppidorum & urbium defectiones, velut in amne turbido piscari  
vellet: certumque erat, Regem hunc à Gaspare Collignio, Hugo-  
nottorum præcipuo duce, persæpe verbis & scripto sollicitatum  
esse, ut in hujusmodi tumultibus Belgicis Philippo Regi bellum  
inferret, neque tam egregiam victoriarum inibi consequendarum  
occasionem è suis manibus elabi sineret. Itaque, ut Albanus pri-  
mùm ex eo latere periculosius bellum præpediret; neglectâ mari-  
timarum civitatum curâ, ad recuperandos Hannoniæ Montes con-  
tinuò se accingit, iisdemque obsidendis Fridericum filium, cum  
aliqua legionum suarum parte, præmittit, ipse cum exercitu re-  
liquo propediem secuturus. Neque defuit fortuna cœptis. Nam  
paulò post, sex vel septem Hugonottorum millia, quæ Collignius  
obsessæ urbi suppetias miserat, à Friderico, Albani filio, die de-  
cimâ septimâ Juli ad internecionem delata sunt: & altero mense  
post, etiam ipse Collignius, acerrimus Belgicorum tumultuum  
promotor, unâ cum præcipuis Hugonottorum capitibus trucu-  
lentâ morte sublatus fuit. Hujus autem lanienæ series, è Spon-  
dano & aliis rerum Gallicarum scriptoribus, ferè in hunc modum  
sefe habuit.

Alius Fran-  
ciscanus  
metu sus-  
spendii Fi-  
dem abne-  
gat; factus-  
que miles,  
eodem an-  
no furtorum  
causâ sus-  
penditur.  
*Estius ibid.*

*n. 319.*  
Wilhelmus  
Comes Ber-  
gensis ma-  
gnam Gel-  
driæ, Fri-  
siæq; parte  
Hispanis  
eripit.

*Haras in  
ann. brabant.*

*Strada de  
bello Belg.*

\* vulgò  
*Mons ger-*

*manicè*

*Bergen*

*im Hæne-*

*gato.*

*Montes*

*Hannoniæ,*

vulgò *Mons*

auxilio Hu-

gonottorum

capuntur à

Ludovico

Nassovio:

sed paulò

post felicif-

simis initis

obsidentur

à Friderico,

Ducis Alba-

ni filio.

*Spond. ad  
hunc ann.*

*n. 2.*

*Haras*

*loc. cit.*

*Strada ib.*



Promiserat Carolus, Galliarum Rex, Margaretam, sororem suam, Henrico Navarrao, Regi hæretico; & Gregorius Papa, licet ægre admodum, dispensaverat in impedimento consanguinitatis, quâ invicem obstricti erant. Sponsalia magno apparatu celebrata sunt Parisiis die decimâ septimâ Augusti, & postridie solennes nuptiæ; quibus etiam Condæus & Collignius, cum præcipuis aliis Hugonottorum capitibus, interfuerunt: specie quidem, ut Regis Navarraei nuptias honorificentius concelebrarent; re verâ autem, ut partium suarum vires, frequentiore Nobilium accessu, confirmarent. Quatriduum deinde convivii, choreis, ludicrisque spectaculis, & certaminibus datum est in arce Lupara, quæ Parisiis Regale palatium est, vulgò dictum *le Louvre*. His autem perceptis, dum Collignius die vicesimâ 2dâ Augusti ad hospitium se reciperet, pauloque tardiùs ingrederetur propter epistolam, quam legebat; præter omnem expectationem suam sclopeto, è fenestra vicinæ domûs exploso, tangitur: nullo tamen alio nocumento, quàm quòd è manu dextera unus digitus eidem excussus, & in brachio sinistro plaga gravior ipsi inflicta fuerit. Sunt, qui scribant, vulnerationem hanc, biduoque post secutam Hugonottorum præcipuorum cædem, jam pridem antè in secretiori Regis concilio adornatam esse. Sunt etiam alii, qui id apud Spondanum negent; putentque, vulnerationem Collignii, Rege inscio, vel saltem eo non consentiente, nec jubente factam. Ut ut ista sint, jaculator ille statim equo conscenso per posticum fugit; & Carolus Rex, per Collignii nuntios de facinore perpetrato monitus, constantissimè simulavit, sibi nullam percussionei attentionandæ notitiam præluxisse. Quin & faucium perhumaniter invisit Rex; addixitque, modis omnibus laboraturum se, ut percussorem deprehenderet, & injuriam hanc non aliter, ac si ea sibi met ipsi inflicta esset, acerrimè vindicaret. At quia Collignius ne tum quidem à minis abstinebat, oggerébátque Regi, nisi pro adjuvandis Geusiis contra Hispanos arma caperet, eventurum fortè, ut à suismet subditis brevi bellum experiretur: Carolus Rex, pejora veritus, confestim alia consilia cum suis iniit, maluitque periculosum hominem cum suis interimere; quàm ab eo seditio-nem novam cum sui capitis & coronæ periculo præstolari. Itaque statim alterâ die, nimirum vicesimâ tertiâ Augusti, militibus omnibus, civibusque Parisinis mirabili taciturnitate mandat, ut sequenti nocte, quæ diem sancto Bartholomæo sacram aperiebat, audito ad S. Germanum campanæ signo, confestim omnes ad arma currerent; cunctosque Hugonottos, quotquot in urbe degerent, præter Navarrum & Condæum, sine ullo personarum discrimine

Henricus  
Rex Navar-  
ræ, vir hæ-  
reticus, Pa-  
risiis agit  
nuptias cū  
Margareta  
regis galliæ  
sorore, præ-  
sentibus  
Condæo,  
Collignio,  
& aliis pri-  
mariis Hu-  
gonottorū  
capitibus.

Spond. hic  
n. 11.

Bussier. to.  
2. hist.

Franc. l. 20.

Collignius,  
peractis  
nuptiis ad  
hospitium  
redux, è vi-  
cinæ do-  
mûs fene-  
stra duabus  
glandibus  
vulneratur.

Auctores  
idem.

Regem ad  
se venientē  
verbis mis-  
nacibus in-  
stigmat con-  
tra Hispanos in Bel-  
gio.

Spond. ib.

Carolus  
Rex, pejora  
veritus, no-  
ctū in festo

S. Bartholo-  
mæi juber  
Collignii

& omnes  
Hugonot-  
tos tora ut-

be interfici,  
exceptis

Navarreo  
& Condæo.

Spond. hic  
n. 13 & 14.

cæde-



cæderent, mactarent, perderent. Initium huic tragœdiæ datum paulò post medium noctis: primusque ante omnes gladio ferali cecidit Gaspar Collignius, multis vulneribus confossus, ac deinde è superiore fenestra in subjectam aream præcipitatus. Alteras post eum pœnas dedere Franciscus Comes \*Rufucaldius, Telinius Collignii gener, & alii quàm plurimi: ita ut hac unâ nocte è Nobilitate Gallica interfecti esse dicantur quingenti viri, sago, togâq; inclyti; è civibus verò, & reliqua Hugonottorum turba, quorum laniena adhuc triduo continuata est, ferè quatuor millia.

\*Gallicè  
Rochefon-  
caut, quod  
oppidum  
latinè dici-  
tur Rupes  
Fucaldi.

Similis Hu-  
gonottorū  
cædes ten-  
tatur in aliis  
urbib⁹ non  
paucis.

Spond. hic  
n. 18.

Bussier. ib.  
n. 5.

Furor po-  
puli in Col-  
lignii ja-  
centis ca-  
daver.

Spond. n. 13

Bussier. n. 3

\*Spond. n.  
n. 13.

Parisiensium exemplo protinus ad similem carnificinam con- citatæ sunt urbes aliæ non paucæ, in quibus Catholici prævalebant; auctórque est Bussierius, Lugduni, Meldis, Burdigalæ, Trevis, Aureliæ, Tolosæ, & alibi, ad viginti quinque Hugonottorum mil- lia pari tumultu interempta esse. At nullus omnium fuit, in quem acerbius à furenti populo defæviturum sit, quàm in Collignium sæ- pe dictum: cujus pœna, etiam ultra ipsam vitam, in cadaver ejus foedissimè prorogata est. Et primò quidem jacentis in area caput à cervice revulsam: deinde corpus truncum, abscissis manibus, ac pudendis, toto triduo per vicos urbis raptatum: postremò etiam ad furcas Monfalconias abreptum, ibique catenâ ferreâ de pedibus suspensum, & igne supposito ustulatum. Quæ omnia suo modo præfagire visus est medicus aliquis probè Catholicus, qui, auditâ ipsius in Ecclesias & sacerdotes Catholicos impietate, biennio prius

itâ de eo cecinit:

*Infausto quod sim Colligni nomine dictus,  
Haud dubiè dictum calitus esse puta.  
Seu collum ligno, seu collum junxeris igni,  
Conveniet rectè nominis hoc etymon.  
Jam pridem admisi, quæ sunt dignissima flammis,  
Admisi pariter crimina digna cruce.  
Pendebo è ligno, posito pendebo sub igne,  
Pròque meo referam nomine supplicium.*

Orangius,  
montensem  
obsidionē  
soluturus,  
auditâ Hui-  
gonottorū  
& Collignii  
cæde con-  
festim fugit  
Strada de  
bello Belg.  
Dec. 1. l. 7.

Famosa ista Hugonottorum cædes (quam & nuptias Parisien- ses, & Matutinas Bartholomæanas, appellârunt posteri) plurimum adjumenti attulit ad occupandos, recipiendosque Hannoniæ Mon- tes, urbem, ut antè diximus, ab Albano Duce, ejusque filio ha- stenus obsessam. Properabat ad eam liberandam Wilhelmus Oran- gius cum ingentibus equitum, peditumque copiis, quas è terris Protestantium contraxerat in Germania: neque dubitabat, quin & Collignius antè dictus è Regno Gallia sibi non parva Hugonot- torum auxilia transmissurus esset. Jamque occupatâ per fraudes Mechliniâ, levioribus quibusdam præliis decertare cœperat cum

Alba-



Albano, visurus, an eundem possit è suis castris egregiè præmun-  
 titis in arenam prolicere. At, ubi non multò post è singulari ca-  
 strorum Hispanicorum lætitia comperit, memorabilem illam Col-  
 lignii & sociorum cædem Parisiis perpetratam esse; desperatâ Hu-  
 gonottorum ope, famelicum exercitum à se dimisit, fratremque  
 Montibus inclusum admoneri fecit, ut saluti, rebûsque suis qua-  
 cunque meliore viâ maturè consulat. Itâ Montensis urbs tandem  
 Septembri mense ad Hispanos rediit; eâque receptâ, etiam brevi  
 tempore Mechlinia, Aldenarda, Teneramunda, Zutphania, Swol-  
 la, Vollenhovia, Duisburgum, Hardervicum, & aliæ pleræque  
 urbes, quæ vel ab Orangio nuper, vel à Comite Bergensi captæ  
 erant, ad Hispani Regis obsequium redierunt.

*Montes*  
 deduntur  
 Hispanis,  
 multæque  
 postmodû  
 urbes aliæ,  
 ab Orangio  
 & Comite  
 Bergensi  
 prius occu-  
 patæ.  
*Strada loc.*  
*cit.*  
*Hævus in*  
*ann. brabant.*

## Annus Christi 1573.

GREGORII XIII. Pontificis 2.  
 MAXIMILIANI II. Imperat. 9. & 10.  
 JOANNIS II. Episcopi Pad. 6.



Carolus IX. Galliarum Rex, Hugonottorum reli-  
 quas persecuturus, ineunte hoc anno Sancerram  
 simul & Rupellam urbes, ad quas confugerant, bi-  
 partito exercitu obsidere cœpit: sed parvo Catho-  
 licæ Religionis incremento. Rupella enim, post-  
 quam à mense Februario acerrimè se defendisset, sub initium Julii  
 novam pacem à Rege impetravit iis conditionibus, *ut Fidei Catho-*  
*lica cultus ibidem restituatur: cuique tamen in toto Regno concedatur li-*  
*bertas conscientia; et iis etiam Nobilibus, qui majorem jurisdictionem ob-*  
*tinebant, à Rege permittatur, domi suæ conciones et sacramenta Calvi-*  
*niano ritu celebrare.* Ne longè post etiam Sancerrana civitas, ade-  
 ptâ religionis & conscientia libertate, in deditionem, gratiamque  
 Regis admissa est; multis impensè demirantibus, quod improvi-  
 dus Rex ad ea civium postulata tam facile assensum dederit. Jam  
 enim diurnâ suæ urbis obsidione ad ejusmodi famem redacti  
 erant, ut non modò cattis & muribus; verum etiam antiquis equo-  
 rum pellibus, librorum involucris, animalium capistris, ephip-  
 piorum integumentis, imò & brutorum, hominumque stercore  
 vescerentur. Proinde, licet nulla Religionis libertas iisdem  
 indulta foret, nihilo minùs, cogente fame, urbem diu pressam de-  
 dere, cervicisque suas ad Regis obsequium flectere debuissent.

Majori constantiâ & fortitudine rem Catholicam contra Geu-  
 sios promovebat Ferdinandus Dux de Alba, peritissimus bellator;  
 sed

Carolus  
 Galliarum Rex  
 Rupellam  
 & Sancerram  
 urbes Hu-  
 gonottorû  
 ad deditionem  
 cogit:  
 sed male si-  
 mul per-  
 mittit  
 omnibus in  
 toto Regno  
 libertatem  
 conscientia.  
*Spond. hic*  
*n. 5. 6. & 7.*  
*Bussier. to.*  
*2. hist.*  
*Franc. l. 20*

Parisen-  
 lurimum  
 niæ Mon-  
 e filio ha-  
 us Oran-  
 s è terris  
 at, quin  
 Hugonot-  
 er fraudes  
 erat cum  
 Alba-



Ferdinand<sup>o</sup> sed in homines bello victos nimium truculentus. Postquam is præcedente anno ferè omnes urbes, in terra continente sitas, à Geusis repurgâisset; etiam eas, quæ mari adjacent, & aquatiliam Geusiorum sedes erat, pari felicitate aggredi, & ad Regis obsequium cogere, nisus est. Primos illic armorum impetus experta sunt minima quædam oppida: his autem facilius occupatis, exeunte anno superiore, tota belli moles conversa est contra Harlemiam, urbem amplam & locupletem; sed Hispanico nomini summè infensam. Offerebatur hujus urbis incolis præteritorum delictorum venia, dummodo, non exspectatâ armorum vi, ad Philippi Regis obsequium se reciperent. At illi, his invitationibus nihil moti, non solum omnia pacis consilia \*superbè rejecerunt; verum etiam, ut accipiendæ reconciliationis viam sibi præcluderent, adventu Hispanorum cognito, in primaria urbis templa violenter irruperunt: fractisque Divorum imaginibus palàm contestati sunt, se in posterum, despectâ Religione Catholicâ, nullam ab Hispanico Rege veniam, gratiamque præstolari. Quin & his non contenti, post aliquot menses, dum obsidio ferveret acrius, longè diriori spectaculo Hispanis militibus insultârunt. Nam, ut inquit Famianus Strada, *ludo impio in editioribus mœnium tumulis altaria constituunt, Divorum statuis exornant, supplicantium ritu circumeunt, sacris vestibus induti: mox etiam ludo isto in furorem verso, stramineas sacerdotum, monialium, et Hispanorum imagunculas è mœnibus ostentatas, flagris cadunt, confodiunt, amputatisque capitibus in castra dejiciunt.* Sed non impunè sic lusum est à sacrilegis ludionibus. Nam ex eo tempore (ut notavit idem Strada) cœperunt Harlemensium res quotidie in pejus ruere, donec tandem post septimum obsidionis mensem extremâ & lamentabili fame, quâ & proprios calceos & equorum, vaccarumque pelles in cibum coxerant, sese ad arbitrium Hispanorum dedere, coacti sint. Exinde continuato plurium dierum supplicio in præcipua seditiosorum capita gravissimè animadversum: feruntque, è militibus præfidiariis nongentos, è civibus verò, & aliis inquilinis ferme quadringentos, quorum plerique aut hæreseos administri, aut præteritæ rebellionis incentores fuerant, aut ferro plexos, aut laqueo strangulatos, aut colligatis binorum ac binorum dorsis in lacum dejectos, & aquis vindicibus interemptos esse.

Philippus Potuisset eo tempore Philippus Rex totam rursus Hollandiam, Hispaniæ aliâsq; maritimas aquatiliam Geusiorum sedes, ad imperium, scep-  
Rex mariti- trumque suum revocare; dummodo præstantissimam, quam ha-  
mâ classem, bebant, classem contra perduelles in Oceanum emisisset. Nam huc-  
Geusis im- usque Amstelodamum adhuc manserat Regi Philippo fidum: &  
mittendâ, ingenti suo  
damno mit-

ba exeunte anno superiore adorna bellum contra maritimas Belgicarum oras  
Hareus in ann. brabant.  
Occupatis que aliquot minoribus oppidis, etiam Harlemium obsidione circumdat.  
Hareus ib. Harlemenses post varias Catholicorum rituum & sacerdotum irrisiones,  
tandem vindicante deo coguntur se ad Alabani arbitrii dedere,  
Hareus & Strada loc. cit.  
& scelerum perpetratorum pœnas dare.  
Auctores iidem.

Mi  
fior  
tem  
Afr  
rol  
run  
reb  
&  
Re  
ciff  
eo  
per  
nor  
fua  
pec  
run  
der  
tut  
col  
hu  
Be  
per  
cer  
in  
mi  
  
fex  
an  
ad  
Ec  
Ju  
no  
Se  
de  
ni  
vir  
cù  
m  
fig  
nu  
fr  
pr



Middelburgum, primaria Zelandiæ civitas, contra diuturnas Geufiorum impugnationes fortissimè se defendebat. At ipse, contemptis rebellium viribus, classem illam præcipiti consilio misit in Africam, ad occupandum inibi regnum Tunetanum, olim à Carolo V. genitore suo captum; postea verò per intestinas Mauro- rum dissensiones à Turcis debellatum. Qua ex re, quantum sibi, rebúsque suis detrimentum accersiverit, experienciã nimis funestã & serã didicit. Licet enim Joannes Austriacus, quem Philippus Rex Africanæ huic expeditioni præfecerat, Regno Tunetano felicissimè potitus fuerit; anno tamen sequente Hispani rursus toto eo Regno ejecti sunt à Selymo, Turcarum Imperatore: & interea per maritimas Belgarum oras diffusi Geufii, qui à prædicta Hispanorum classe facillimè potuissent opprimi, quotidie majora virium suarum incrementa accepere. Errorem hunc Philippi Regis pro- pediem consecutus est error alius, priori non longè minor: nimi- rum, quòd exeunte hoc anno Ferdinandum Albanum unà cum Fri- derico Filio è provinciis Belgicis in Hispaniam revocãrit; substi- tuto in ejus locum Ludovico Requesenio, magno Equitum S. Ja- cobi Magistro. Quamvis enim negari nequeat, virum istum in- humano, ferocique ingenio suo plurimum nocuisse tranquillitati Belgicæ; ex alia tamen parte non minùs certum est, quòd bellandi peritiã ac felicitate sibi parem vix habuerit. Quare non immeritò censuerunt multi, virum hujusmodi aut nunquam debuisse mitti in Belgium, ne rebellio ista nasceretur; aut nunquam è Belgio di- mitti, ut rebellio ista faciliùs finem acciperet.

Inter ista Catholicæ Religionis turbamenta Gregorius Ponti- fex, Germanorum periclitantium salutem consulturus, fundavit hoc anno Romæ Collegium Germanicum; in quo ejusdem nationis adolescentes per assidua doctrinarum studia formarentur ad statum Ecclesiasticum. Initium saluberrimi hujus operis jam antè fecerat Julius III. \*anno 1552, qui & viginti quinque adolescentes Germa- nos, tum suã, tum aliorum Cardinalium benignitate, ibidem aluit. Sed quia hic nondum stabiles, certosque redditus eidem Collegio deputaverat; ipso è vivis evocato, laudatissimæ hujus institutio- nis primordia non parum concidère, donec Gregorius XIII. di- vino consilio ad supremi Pontificatûs apicem proventus est. Is, cum esset propensissimo in Germanicam nationem animo, non modò jacentem illius Collegii fortunam restauravit; sed etiam in- signi liberalitate foundationem ei tam copiosam addidit, ut ex an- nuis ejus redditibus ferè centum alumni \*perpetuis temporibus in- strui, & enutrirî possint. Quã munificentiam plerisque Germaniæ provinciis maximopere profuit, effecitque, ut ex eo Collegio post- modum,

tit ad occu-  
pandum in  
Africa Re-  
gnum Tu-  
netanum.

\*Spond. ad  
ann. 1574.  
n. 11.

nec felicio-  
re consilio  
Ferdinandû  
Alba Ducẽ  
è Belgio re-  
vocat, sub-  
stituto in  
ejus locum  
Ludovico  
Requese-  
nio.

Spond. ad  
hunc annũ.  
\*Strada de  
bello Belg.  
Dec. 1. l. 7.

Gregorius  
Papa XIII.  
Romæ fun-  
dat Colle-  
gium Ger-  
manicum.

\*Hist. Soc.  
part. 1. l. 12.  
n. 8. & 9.

\*Spond. ad  
hunc annũ.  
n. 14.

\*Spond. ib.  
& alii.



modum, velut ex equo Trojano, prædièrunt innumeri viri illustrissimi, qui vel in officio Episcopali, vel certè in Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum subfelliis, Catholicam Religionem strenuissimè tutati sunt.

Joannes Episcopus  
Monasterii  
Osnab. &  
Paderbornensis, propter infirmitatem suam urget electionem Coadjutoris.

Ex veter.

MSs.

Monasterii jam ante annum Coadjutor postulat<sup>er</sup> erat Joannes Wilhelmus Julia, Clivie, & Montium Dux.

Annales

Monast.

Paderbornenses & Osnabrugenses recusant Coadjutorem.

Ex veter.

MSs.

Burchardi ab Oberg Episcopi Hildesien- sis mors, & ejusdem egregia laus.

Ex catalogo recentiore Episcop. Hild.

In Dioecesi nostra Paderbornensi Joannes Episcopus adhuc solerter invigilabat, ne vicinum Lutheranae doctrinae virus in ovile nostrum se infunderet. Pejuscule tamen habere coeperat ejusdem valetudo non parùm inclinata: atque ideo, Catholicae Religionis conservandae studio, sollicitè apud suos urfit, ut pro majori securitate Coadjutorem sibi aliquem, tam zelo Fidei, quàm vicinâ potentiâ præditum, legendo substituerent. Propositionem hanc, ut æquitati ac prudentiæ consonam, quantocyus approbârunt Monasteriensis Ecclesiae Canonici, ideoque & anno præcedente Coadjutorem postulavêre Wilhelmum, Wilhelmi Ducis Clivensis & Juliacensis, filium, tunc adhuc decennem puerum. Contrâ verò Paderbornenses, & Osnabrugenses opponebant se huic propositioni, non sinè summo posterioris Ecclesiae damno, uti prolixius videbimus ad annum proximè sequentem.

Hildesiensem Ecclesiam hucusque magno cum fructu rexerat Burchardus ab Oberg, ex antiqua ac perillustri Obergiorum familia Præsul egregiè Catholicus. Erat ille vir excelsi & generosi animi, eaque simul pietate ac devotione præditus, ut in Cryptabeatæ MARIAE Virginis infra templum Cathedrale, unâ cum sacerdote domestico noctes integras precando soleret exigere, etiam in lachrymas, tenerrimæ devotionis indices, persæpe effusus. Initio Pontificatus aditi (quod ob diuturnas dissentientium Canoniorum altercationes non nisi sexennio post ejus electionem contigit) omnium Ordinum sacerdotes & Clericos, ad se convocatos, magnificâ, & Episcopo dignâ oratione ad vitam & mores Clericali statui consentaneos, ardentissimè cohortatus est. Sonum campanarum ad officia divina convocantium, supplicationes publicas, psalmodiam, & cantum solennem Ecclesiarum, aliâque pietatis exercitia, pluribus jam antè annis intermissa, summo Catholicorum gaudio, ad usum pristinum revocavit. Arcem Stürwaldensem, ab inutili decessore suo Friderico malè oppignoratam, triginta sex imperialium millibus redemit: ac tandem senio, curis, & laboribus confectus, in eadem arce Stürwaldensi hoc anno pientissimè exspiravit die vicesimâ tertiâ Februarii. Cadaver ejus quadriduo post, magno omnium Ordinum ac Prælatorum comitatu, Hildesium ad ædem Cathedralē deportatum, & ibidem haud procul à sacrario sepultum est cum hac inscriptione cippi mortualis:

*Hic jacet Hildesia Præsul Borchardus ab Oberg:  
Ille Pater patriæ est, Altisonantis ope.*

Se-



Sedes Episcopalis ab ejus obitu vacavit solum per dies duodecim; septimâque die Martii in demortui locum suffectus est Ernestus Bavarus, Alberti Bavaricæ Ducis filius, & Episcopus Frisingensis: qui sequentibus annis etiam Coloniensem, Leodiensem, & Monasteriensem infulas, in suum unius caput, ob singularem Catholicæ Religionis integritatem, comportari vidit, uti suo loco memorabitur.

Cui in Episcopali cathedra successit Ernestus Dux Bavaricæ. Ex eodem Catalogo.

## Annus Christi 1574.

GREGORII XIII. Pontificis 2. & 3.  
 MAXIMILIANI II. Imperat. 10. & 11.  
 JOANNIS II. Episcopi Pad. ultimus.



**I**N Regno Gallicæ omnia turbata erant post concessam Hugonottis libertatem conscientiæ. Detecta adversus Regem periculosa multorum conspiratio, in quam & ipse Regis frater Franciscus Alenonius à sectariis, & malè contentis pertractus erat: eâ specie quidem, ut suam, Regisque matrem unâ cum Guisii, aliisque exteris rerum publicarum administratione pellerent; re verâ tamen, ut ejectâ Religione Catholicâ doctrinam Calvinianam toto Regno stabilirent. Capti è conjuratis plurimi, variisque suppliciis affecti: Alenonius, & Rex Navarræ in libera custodia detenti: Henricus Condæus in Germaniam fugiens Argentorati latibulum invenit. In alios dum inquisitio severa fieret, ipsèmet Galliarum Rex Carolus IX (quem ab aliquo tempore infirmior valetudo presserat) die tricesimâ Maji in festo Pentecostes obiit, nullâ prole masculâ è legitimo conjugio post se relicta. Successit in thronum ejus Henricus III, Regis defuncti frater, natu major, qui eodem hoc anno Poloniae Rex coronatus erat Cracoviæ in festo S. Matthiæ Apostoli. Et ille statim, relicta inquietorum Polonorum rebus, in Galliam se recepit, ubi mense Februario sequentis anni in urbe Remis, consueto Regum Francorum ritu, inauguratus est.

In Belgio quoque Hispanos inter & Geusios adhuc utrimque fortuna procedebat ambiguis passibus. Etenim Geusii navali prælio devicerunt Hispanos, cum hi annonam ac militem conarentur inferre Middelburgo, ultra annum à Geusiiis obfesso, pauloque post iisdem dedito. Contra verò Hispani campestri prælio ita Geusios & eorum auxiliares prostraverunt in Geldria prope Mockam pagum, ut supremi ipsorum duces, nimirum Christophorus Palatinus, Ludovicus Nassovius, ejusdemque frater Henricus Nassovius, ac ferè

In Gallia consurgit nova multorum conspiratio adversus Regem.

Spond. hic n. 3.

Buffier. n. 11.

hac detectâ & puniri cceptâ, Carolus IX. Gallorum Rex è vivis evocatur:

Spond. hic n. 4. & 5.

Buffier. ib.

Cui succedit Henricus III, Regis defuncti frater, jam coronatus Poloniae Rex.

Spond. n. 6.

In Belgio Hispani à Geusiiis vincuntur prælio navali; sed paulò post eosdè egregiè vincunt prælio

Hhh

omnes



campestri, omnes legionum Præfecti ibidem occubuerint. Ex aliis militibus  
caelis eo- gregariis periêre circitèr quatuor millia, capti ferè trecenti, reli-  
rundem qui derelictis omnibus impedimentis ac triginta signis militaribus,  
præcipuis in præcipitem fugam dissipati. Jámque ad subigendos Geusios ma-  
ducibus. ritimos, utpote re navali superiores, id unum deerat, ut Hispan-  
*Spond. hic* na classis, quæ anno superiore in regnum Tunetanum iverat, hoc  
*n. 10.* anno in Hollandiæ, Zelandiæque oras procurreret. At illa in Si-  
*Haraus in* ciliæ finibus colligebat se contra Turcarum classem, Tunetano\*  
*ann. brab.* Regno incumbentem: quæ & regnum illud, priusquam Hispana  
*\*Spond. hic* classis adveniret, velocissimè recepit; adeoque sumptus omnes,  
*n. 11.* priori anno in Tunetanam expeditionem à Rege Catholico factos,  
ad nihilum redegit. Ità nimirum persæpe accidit, ut, qui foris  
nova regna quærit, domi suas ditiones amittat.

Joannes E- Inter hæc Dioecesim nostram, imò totam ferè Westphaliam,  
piscopus non parùm hoc anno contristavit improvisa ac nimium præmatura  
Monaster. mors Joannis de Hoja, Paderbornensis, Monasteriensis, & Osnab-  
Paderborn. rugensis, Ecclesiarum, Episcopi. Cœperat hic à biennio circitèr  
& Osnab- non modò lentâ absumi tabe; sed etiam affligi simul epilepsiâ, mor-  
brugenfis moritur die bóve Herculeo. Cúmque malum istud rediret crebrius & magnâ vi;  
5. Aprilis. tandem & viribus fractus, & nimio mœrore consumptus, extre-  
*Ex Annal* mum sibi diem appropinquare sensit in arce Ahufana. Illuc igitur  
*Monaster.* ex urbe Monasteriensi accersi jussit Ecclesiæ Transaquensis Deca-  
*ms. & aliis* num, Melchiorem Ruperti, virum eruditione pariter ac religione  
*veteribus* spectatissimum: à quo consuetis omnibus Catholici Ecclesiæ Sa-  
*chartis.* sacramentis maturè præmunitus, inter ardentibus erga Deum affectus  
placidissimè expiravit die quintâ Aprilis, anno ætatis quadragesi-  
mo quinto. Funus ejus magnis honoribus deportatum est Mona-

Ejusdem se- pultura. pultura.  
sterium Westphaliæ, ibique in Ecclesia Cathedrali conditum ad la-  
*Ex Annal* tus Australe chori: multis acerbè deplorantibus, in uno Principe  
*Monast.* tam innumeras naturæ, gratiæque dotes unâ simul in terram defo-  
*ms.* di. Nam præter egregiam septem linguarum peritiam, non modò  
in jure civili & Canonico; sed etiam in studiis Theologicis, rebûsque  
omnibus ad Fidem ac disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, ap-  
prime versatus erat. Quam verò probè & integre semper steterit  
pro tuenda, retinendaque in suis terris Religione Catholica; sole  
clariùs elucescit partim ex omnibus ipsius actis, partim ex decreto  
2dæ synodi Osnabrugensis de anno 1571. In hoc enim præter alia  
complura, quibus miserabilem Osnabrugensis Ecclesiæ statum in-  
cusabat, ità de se ipso loquitur: *In hoc tam deplorando rerum statu,*  
*si quid à nobis oppressæ Ecclesiæ adjumenti potuisset adferri, officio nostro ne-*  
*quaquam nos defuturos fuisse, existimari debet. Illud certè, quod unum*  
*istis temporibus vel maxime subditos movere posse arbitrabamur, studiosè,*  
dili-

Et egregius  
zelus pro  
tuenda Fide  
Catholica.



diligenterque præstitimus; ut videlicet ab omni hærescos suspicione alieni, sanctam Catholicam Fidem et Religionem palam ac publice constanti, infractoque animo, predicaremur, profiteremur, atque etiam sequeremur, (cujus rei testimonium omnes, qui nos vel publicis, vel privatis in rebus paulò noverunt familiaribus, facillimè nobis perhibere poterunt) existimantes futurum, ut hoc nostro exemplo, si nulli alii, saltem subditi nostri, qui variis doctrinis à via veritatis abducti essent, excitati, ad gremium matris Ecclesiæ redire satagerent. Præfuit Osnabrugi annis viginti & uno, Monasterii septem & aliquot mensibus, Paderbornæ sex & paulò ampliùs. Breve ejus encomium complectuntur hi pauci \* Kerffenb. in catal. Ep. Pad. versus, ex Kerffenbrochio \* desumpti, & paululùm emendati:

*Hic jacet Hojana Præsul de stirpe JOANNES,  
 Qui fuit Aonidum, Pieridumque decus.  
 Religionis erat rigidus defensor avite,  
 Quæ tanto hic semper vindice tuta stetit.  
 Bis tribus ad Paderam, vix ultra, præfuit annis;  
 Ac mæstâ demum tabe necatus obit.*



# SALENTINUS

Comes de Ilenburg,  
ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS,  
ET  
ECCLESIAE PADERBORNENSIS  
EPISCOPUS XLIII.

Annus Christi 1574.

GREGORII XIII. Pontif. ut supra.  
MAXIMILIANI II. Imper. ut supra.  
SALENTINI Episc. Paderb. I.

Monasterii  
defuncto  
Joanni Epi-  
scopo suc-  
cedit ejusdē  
Coadjutor,  
Joannes  
Wilhelm<sup>o</sup>,  
Cliviae dux.

*Annales*

*Monast.*

*Chytra<sup>o</sup> ad*

*hunc annū.*

Osnaburgi

magno isti<sup>o</sup>

Ecclesiae

malo po-

stulatur

Henricus

Saxo Law-

enburgic<sup>o</sup>,

Bremensis

Archiepi-

scopus Lu-

thero dedi-

tus.

*Annal. Of-*

*nabr. mss.*



Defuncto Joanne Episcopo, Monasteriensis Ecclesia facile recepit constitutum antea Coadjutorem ejus, Joannem Wilhelmum, Juliae, Cliviae, & Montium Ducem, Wilhelmi Ducis adhuc viventis filium. Sed quia is adhuc admodum juvenis, & nondum duodenario major erat: eidem adjunctus est Conradus de Westerholt, majoris Ecclesiae Scholasticus, & quidam alii non solum e Capitulo; sed etiam ex equestri Nobilitate praelustres viri, qui Monasteriensem Dioecesim per octo annos nomine ipsius regerent. Eadem gubernandi methodus etiam inducenda fuisset in Dioecesim Osnabrugensem, si & ibi Cathedralis Ecclesiae Canonici, quemadmodum rogati erant, in praedictum Joannem Wilhelmum sua vota contulissent. At ipsi, nescio quibus vel promissis irretiti, vel heterodoxae doctrinae illecebris invitati, magno istius Ecclesiae malo sua vota converterunt ad Henricum Saxo-Lawenburgicum, tunc Bremensem Archiepiscopum; sed erroribus Lutheranis deditum, & Catholicae Religionis osorem pessimum. Qua de causa nunquam a Sede Romana agnitus, aut confirmatus est.

Mul-



Multò circumspēctiūs Paderbornæ apud nos egerunt Cathedralis Ecclesiæ nostræ Canonici, quibus antiquæ Religionis Catholicæ vigor adhuc majori in pretio erat. Hi enim, indicto Capitularium suorum conventu, die vigesimâ primâ Aprilis concordibus votis postulavêre Salentinum Comitem de Isenburg, primæ væ Religionis cultorem studiosissimum. Præfuerat hic jam à septem annis Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensi: intereâque se tam in rebus Ecclesiasticis, quàm in profanis, adeò præclarè sanctèque gesserat, ut inter optimos istorum temporum Antistites non immeritò cenferi posset. Unde etiam Gregorius Papa, licet eum sacerdotii expertem esse, non ignoraret, ei facillè confirmationem Apostolicam impertivit, cum plenaria potestate, ut ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, per Antistitem suffraganeum expleri faceret. Ecce hîc Papales \*litteras, die 4tâ Septembris Romæ datas:

**V**enerabili fratri Salentino Archiepiscopo Coloniensi, Gregorius Papa XIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cùm, sicut accepimus, nuper Dilecti filii Decanus et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis, Ecclesiâ ipsâ tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim Episcopi Monasteriensis, qui, dum viveret, ex concessione Apostolica eandem Ecclesiâ Paderbornensem in administrationem obtinebat, extra Romanam curiam defuncti, Pastoris solatio destitutâ, Te, qui Ecclesiæ Coloniensi ex simili concessione Apostolica præes, etiam in Episcopum Paderbornensem postulaverint: Nos, qui pro nostri universalis Pastoris officii sollicitudine utilitati Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium, quantum cum Deo possumus, his potissimum turbulentis et periculosis temporibus, ne illa longæ vacationis exponantur incommodis, nève propterea in spiritualibus aut temporalibus detrimenta patiantur, diligenter providere studemus, sperantes, quòd, dirigente Domino aclus tuos, præfata Ecclesiâ Paderbornensis sub tuo felici regimine utiliter regetur, et prospere dirigetur: Te dictâ Ecclesiæ Paderbornensis in eisdem spiritualibus et temporalibus Administratorem auctoritate Apostolicâ tenore presentium ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum facimus, constituimus, et deputamus. Tibique possessionem ipsius Ecclesiæ Paderbornensis et illius bonorum, seu quasi, vigore presentium per te vel alium, quem ad hoc duxeris deputandum, capiendi et retinendi, nec non illius mensæ Episcopalis fructus, redditus et proventus, petendi, exigendi, et percipiendi, ac debitis consuetis ipsius Ecclesiæ Paderbornensis supportatis oneribus, quod supererit, in tuos licitos et honestos usus convertendi, ac Pontificalia officia, quo ad ea, quæ sunt Ordinis, durante tuâ administratione hujusmodi, per suffraganeum à te deputandum in civitate et Diocesi Paderbornensi exerceri faciendi, ceteraque in præmissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna gerendi, mandandi, et exequendi, plenam et liberam facultatem

Paderbornæ postulat Salentinus Comes de Isenburg Coloniensis Archiepiscopus, vir probè Catholicus, Kerffenbr. in catal. Ep. Paderb. Chytræus, & vetera mss. Pad. Qui & eodem anno confirmatur à Gregorio XIII. Pontifice:

\*Ex Archiv. Cath. Eccl. Pad.

et



et potestatem concedimus. Mandantes dilectis filiis Capitulo et Vasallis dictæ Ecclesiæ Paderbornensis, ac Clero et populo civitatis et Diocesis Paderbornensis, ut juxta presentium tenorem tibi, tanquam Ecclesiæ hujusmodi Administratori, ac Patri et Pastori animarum suarum, humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam ac reverentiam debitas ac devotas: Vasalli verò et subditi consueta servitia et jura tibi ab eis debita integre exhibere, procurent. Non obstantibus Apostolicis, in provincialibusque et synodalibus ac generalibus conciliis, editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, et Ecclesiæ Paderbornensis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis illi concessis et confirmatis, --- ceterisque contrariis quibuscunque. Hortamur igitur te plurimum in Domino, ut hoc munus regendæ et administrandæ Ecclesiæ Paderbornensis, tuis per nos impositum humeris, sic exercere studeas sollicitè, fideliter, ac prudenter, quòd illa, sicut speramus, provido et fructuoso Administratori gaudeat se commissam; Tuque in nostro et ejusdem Sedis conspectu te semper meritorum præmiis digniorem constituas, Nosque proinde ad uberores gratias tibi faciendas per amplius invitentur. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die IIII. Septembris MDLXXIII. Pontificatus nostri anno tertio.

Ac dein die  
9. Decembris solenni  
pompa Paderbornam  
ingreditur.  
Kerffenbr.  
in catal.  
Ep. Pad.  
Chytra<sup>o</sup> l.  
23. Saxon.  
& vetera  
ms. Pad.  
ejusdem juramentum,  
eâdem die præstitum  
de tuendis  
Ecclesiæ  
Paderbornensis juri-  
bus.  
Ex archiv.  
Cath. Eccl.  
Paderb.

Post hæc Salentinus, commissæ Diocesis possessionem aditus, die nonâ Decembris cum egregio mille equitum comitatu Paderbornam ingressus est. Et quia nondum sacerdotio initiatus erat, non in habitu Episcopali (uti veteres Episcopi solebant) sed in veste militari, totusque cataphractus & obarmatus, Cathedralem Basilicam subiit, ut vel hoc ipso apparatu Martio Paderbornensibus civibus, aliisque subditis commonstraret, se pro Ecclesiæ sibi commendandæ juribus, veterique Fide Catholica, quantum in Domino posset, constanter pugnaturum. Id quod etiam eâdem die in domo Capitulari pollicitus est per solenne juramentum; cujus primam, ultimamque partem, brevitatis confectandæ studio, juvat hîc apponere:

**N**os Salentinus, Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Westvaliæ et Angariæ Dux, Administrator Paderbornensis etc. Redditus Episcopi Paderbornensis, et Episcopalis mensæ ejusdem, non alienabimus; sed integraliter conservabimus: alienatos pro posse nostro recuperabimus, nec recuperata alienabimus. Prepositum, Decanum, et Capitulum, ac singulos de Capitulo et Ecclesiâ Paderbornensi, in disciplina, in jure suo, in libertatibus et consuetudinibus licitis et honestis conservabimus; et universa bona, ad Capitulum et singulos pertinentia, sicut nostra conservabimus ac defensabimus. etc. --- Omnia et singula supra dicta



dicta Nos Salentinus Archiepiscopus et Administrator supra dictus libenter servabimus, et Capitulo nostro Paderbornensi promittimus. Sic nos Deus adjuvet et sancta Dei Evangelia. Datum sub nostro sigillo et manus nostra propria subscriptione, die jovis, nona mensis Decembris. Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

## Annus Christi 1575.

GREGORII XIII. Pontificis 3. & 4.  
 MAXIMILIANI II. Imperat. 11. & 12.  
 SALENTINI Episc. Paderborn. 1. & 2.

**R**eserata à Gregorio summo Pontifice ante annum in pervigilio Nativitatis Domini consueto ritu januâ sanctâ Ecclesiæ Vaticanæ ad obtinendas toto hoc anno indulgentias jubilei, ingens nunc quorumvis hominum Romam accursus ex omnibus Europæ regionibus; quin & ex Æthiopia, Arabia, Armenia, Græcia, aliisque provinciis orientalibus tantâ multitudine, ut centena millia toto jubilei tempore Romæ numerata fuerint. Placuisse pietatem Superis ex eo arguebant plurimi, quòd Romanam urbem immunem servârint sævissimâ peste, quæ per varias Italiæ urbes, totâque Sicilia grassabatur; & quamvis complures ex contagiosis locis Romam adirent, nihil tamen contagionis ab his allatum fuit, quod in tanta populi frequentia multis miraculo visum simile. Obiit tamen ibidem \*ex peregrinis Germaniæ Proceribus Carolus Fridericus, Wilhelmi Cliviæ, & Juliæ Ducis, filius primogenitus, consumptus febre in flore ætatis, de cujus vita & præclaris dotibus & quanto cum lectu Domûs Clivenfis decefferit, alibi dicetur.

Cùm Romæ eum in modum ferverent pietatis exercitia, Maximilianus Imperator pacis negotia cum Geusiis tractanda sumpsit; eaque de causa misit illuc Guntherum Comitem de Schwartzenburg, quem ideo valiturum autoritate & gratiâ apud Orangium putabat, quòd hujus soror Gunthero in matrimonium collocata esset. Guntherus igitur re cum Requesenio, Belgii gubernatore, communicatâ, se itineri dedit Dordracum versus, eoque adnente congressus ambarum partium 2 Martii institutus est in urbe Bredana, ad quam diversi tam Catholicorum quàm Geusiorum Legati convenère. Sed pacis desiderio majore, quàm spe, & fructu: quàm primùm enim novæ offensionis lapis positus à Geusiis, postulantibus, ut Hispani tanquam exteri toto Belgio excluderentur; totùmque negotium, tum de rebus ceteris, tum de Religione tractan-

Jubileum celebratur Romæ insolito accursu hominum.

Spond. ad hunc annu.

\*Pighius in Her. prodicio.

In Belgio congressus de pace initus successu irrito dissolvitur.

Spond. hic n. 3.

Haras in ann. brabant.

Chytraeus in Saxon. ad hunc annum.



standum daretur convocatis omnium provinciarum Proceribus; id, cum à Philippo Rege negaretur, asserente, Gallos, Germanos, Anglos, ac ceteros, qui Orangio militarent, potius externos habendos, non verò Hispanos, qui non minùs, quàm ipsi Belgæ additionem Regis pertinerent; neque generalem Provinciarum conventum, nisi arma priùs poneret Hollandia, ac Zelandia, à se permissum iri; Indè jam de futuro infelici totius congressûs eventu existimari facillè poterat; proposita tamen ad tentandos animos hæc concordie capita: *privilegia, leges, ac jura omnia conservarentur, Erepta utrimque, quæ extarent, restituerentur. Captivi sine pretio dimitterentur; ità tamen, ut urbes, arces, munitiones, naves, machinæ bellicæ, Regi bonâ fide traderentur, et Religio Catholica Romana ubique et NB sola constitueretur; permisso iis, qui eam profiteri nollent, bonis suis intra certum tempus divenditis, aliò migrare.* Hoc ultimum maximè Geusios pungebat, qui pertinacibus animis exercitio suæ Religionis retinendo inhærebant, obfirmati, nec deserere Belgium, nec à possessione bonorum decedere. Igitur conventus ille post inanes trium, quatuorve mensium consultationes dissolutus est. Præcipua tamen impeditæ hujus pacificationis causa meo judicio fuit, Orangi Principis obstinatio, qui, ut antiquæ Fidei æternum valediceret, eodem illo tempore, dimissâ legitimâ conjugē suâ, novo matrimonio sibi devinerat Charlottam Borboniam, virginem Deo consecratam, & coenobii Jotrensis ex Ordine S. Benedicti Abbatissam profugam. Ità novis istis quinti Evangelii sectatoribus omnia, quæ libent, licent; neque amplius apud eos valet illud Ecclesiastæ: c; 5. *3. Si quid votiisti Deo ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio*

Hæc Geusiorum in recusanda pace pertinacia non impunita mansit; finito enim congressu, cum arma resumerent, solito infelicius pugnatum est. Præter nonnulla oppida in Zelandiæ insulis amissa, ex toto ferè continente in eas coniecti sunt angustias, ut viribus suis diffidentes, ad potentioris vicini Principis auxilia, ne penitus interirent, confugere, necessum duxerint; atque in primis Elisabetha, Angliæ Regina, opem rogata, tametsi initio difficilior videretur magnorum bello gerendo sumptuum metu, & inimicitias Hispanorum verita, post tamen suppetias non parvas addixit.

Rudolphus  
Maximilianus II. filius  
Ratisbonæ  
eligitur &  
coronatur  
Romanorum  
Rex.

Sereniorem hoc anno fortunam vidit Maximilianus II. Imperator in comitiis Ratisbonensibus, pro deligendo novo Romanorum Rege, cum ejusdem assensu habitis. Proposuerat ibi Cæsar vires suas jam deficere, seseque ex earum imminutione non immeritò suspicari de suæ mortis proximitate; proinde ut Electores

per



per novam electionem tranquillitati Germaniæ maturè consulant, sibi maximè in votis esse, longèque jucundissimum sibi fore, si Rudolpho filio suo, jam creato Bohemorum & Hungarorum Regi, coronam Imperii decernant. Quæ propositio, cum ab omni septemvirorum, Principumque coetu maximopere laudaretur, Rudolphus antè dictus, viginti quatuor annorum Princeps, die vigesimâ septimâ Octobris Romanorum Rex pronuntiatus, & Kalendis Novembribus in festo omnium Sanctorum, cum ingenti Cæsaris lætitia, coronatus est.

Optatissima quæque sibi pariter per hæc tempora Diocesis nostra Paderbornensis sub auspiciis novi Episcopi pollicebatur; nisi quòd non parùm anxia esset ob pestem in vicinia grassantem, ne & illa in hanc urbem, totamque patriam proferperet ex civitate Monasteriensi, quam ab hoc anno per biennium ferè miserandum in modum afflixit, tantamque de medio sustulit hominum multitudinem, ut contumulandis cadaveribus ingentes ruri fossas agere, necessum fuerit. Accessit alius in eadem urbetimor, ortus ex rumore sparso, cogitare Joannem Wilhelmum, quem præcedente anno ad Monasteriensem insulam pervenisse, diximus, abdicato Episcopatu redire ad Clivensem domum inito matrimonio propagandam, postquam Carolus Fridericus frater, designatus familiæ propagator, Romæ obiêrat. Ex eo ob evidentissima introducendæ hæreseos pericula non parvæ difficultates in eligendo novo, probatæque Religionis Antistite, orituræ timebantur, qua de causa abdicatio Episcopatus \*in decennium ex voluntate summi Pontificis dilata fuit, uti triennio post videbimus.

*Spond. hic n. 9. Chytraus in Sax. ad hunc annũ. & alii.*

*Pestis in urbe Monasteriensi. Stangefol. chron. Monast. ms.*

*\*chronicon Monast.*

## Annus Christi 1576.

GREGORII XIII. Pontificis	6.
MAXIMILIANI II. Imperator.	12.
RUDOLPHI II. Imperator.	1.
SALENTINI Episc. Paderb.	2. & 3.



Urbatissimus rerum status hoc anno visus est in toto Belgio. Ludovicus Requesenius, Provinciarum istarum gubernator, sub exitum præcedentis anni non parvos armorum progressus fecerat in una Zelandorum \*insula, cui nomen Scaldia, vulgò *Schowen*. Jamque aliis munitionibus, urbibusque occupatis, castra moveri jusserat ad primariam illius urbem Ziriczeam, cujus obsidio usque in ætatem hujus anni protracta est. Eâ durante, vir ille præstantissimus die sextâ

*Requeseni gubernator Belgii, inter felices armorum progressus moritur. \*Hærens in ann. brabant. ad an. 1575*

Iii

Mar-



Ziriczæa  
Zelandiæ  
urbs ab Hi-  
spanis ad  
deditionem  
cogitur, tre-  
pidante  
cum suis  
Orangio.

*Haræus ad  
hunc annũ.*

*Strada de  
bello Belg.  
Hispani in  
seditionem  
versi, Bra-  
bantiam,  
Flandriam  
que Regi fi-  
dam co-  
nantur ex-  
pilare.*

Unde com-  
moti Belgar-  
um Proce-  
res, fœdere  
cum Geu-  
siis inito,  
nituntur  
eos expel-  
lere toto  
Belgio.

*Auctores  
iidem.*

*Chytræo l.  
23. Saxon.  
ad hunc  
annum.*

Henricus III.  
Galliæ Rex  
ab Alenzo-  
nio fratre,  
& Henrico  
Principe  
Condæo

Martii pestilenti febre sublatus obiit; & rerum administratio à Phi-  
lippo Rege tam diu commendata est concilio Statuum, donec alius  
gubernator mitteretur. Latè hoc nuntio Belgarum Proceres ob-  
fidionem Ziriczææ vehementer promovent; eaque demum expu-  
gnatâ, in tantum pavorem coniecere Geusios cum Orangio ipso-  
rum duce, ut, qui antea Bredanam pacificationem rejecerant,  
nunc in eam facillè consensuri viderentur. Considerabant enim,  
Ziriczæâ captâ totam Scaldiam in manibus Hispanorum esse, To-  
lam insulam huic vicinam in Regis obsequio perstitisse, ac proin-  
de Zelandiam reliquam istarum insularum interjectu ab Hollandia  
separari: his autem ab auxilio mutuo impeditis, & hanc & illam  
facillè ab Hispanis recuperatum iri; præsertim cum in Hollandia  
adhuc urbes variæ, maximèque Amstelodamum & Harlemum,  
ab Hispanis tenerentur. Sed præclaras hujusmodi spes derepente  
rursus intervertit inopina militum Hispanorum seditio. Isti enim  
rapacissimi focii Ziriczæâ deditâ, priusquam victoriæ continuandæ  
causâ in vicinam Walachriam se transportari sinerent, residuo-  
rum stipendiorum causâ ferocissimè in suos duces insurrexere: &  
quia tot pecuniæ tam celeriter ab iis expediri non poterant; expi-  
latâ, relictâque Scaldia, turbulento impetu in Brabantiam, vici-  
namque Flandriam proruperunt, ibidem undique hostiliter discur-  
rentes, ex urbium ac pagorum spoliis crumenam suam repleturi.  
Tum verò Belgarum Proceres, qui jam antè similibus rapinis non  
semel irritati, ideòq; & militum Hispanorum ferociam perosi erant,  
collatis inter se capitibus tandem de Hispanis toto Belgio expellen-  
dis agere, ad arma convolare, militem conscribere, Orangium  
cum suis invocare, ac demum eò furoris devenire, ut percussio cum  
Geusiiis fœdere semet invicem adjuvare, & unitis viribus in Hispa-  
nos ire, constituerint. Huic autem iniquissimo fœderi, quod in  
urbe Gandavensi, sexto Idus Novembris conclusum est, non mo-  
dò subscripserunt Ordines Catholici; verum etiam (quod mirère)  
nonnulli Abbates, ac Prælati Ecclesiastici, putantes, conscientia  
suæ per hoc satis factum esse, quòd in fœderis antè dicti tabulis ex-  
pressè caverint; *ne quid in Belgio Catholico ab Hollandis, Zelandisque  
Geusius contra Catholicam Religionem aut ejus exercitium attentetur.* At  
hîc ipsi postmodum serò nimis experti sunt, nullum fœdus tolera-  
bile vel securum esse, quod oves cum lupis ineunt.

Neque pacatius hoc anno fuit Regnum Galliæ, in quo Catho-  
licam Religionem eversum ibant Henricus Princeps Condæus, &  
Franciscus Dux Alenzonius, Regis Henrici frater. Prior horum,  
cum ante biennium conspirationis detectæ causâ in Germaniam au-  
fugisset, ibidem cum Joanne Casimiro, Palatini Electoris filio, in-  
gen-



gentem conscripserat exercitum, quem viginti duo millia peditum, equitumque Germanicorum fuisse complexum, asserunt. Cum his per initium hujus anni magnis itineribus \* properat ad Alenzonium; qui & ipse belli concitandi causâ præterito Septembri ex aula fraterna fugiens, non parvas armatorum copias collegerat in regno Galliæ. Conjunctione amborum factâ circa undecimam diem Martii, numerata sunt in toto exercitu plùs quàm triginta selectissimorum virorum millia. Quibus cum Henricus Rex parem exercitum tam celeriter opponere non posset; avertendæ hujus invasionis causâ, tandem mense Majo ad propudiosam, reique Catholicæ nocentissimam pacem\* adactus est: nimirum, *ut Hugonotibus in toto Regno permittatur facultas libera, non modò suam Religionem exercendi; verùm etiam congregandi et celebrandi synodos. Ut iidem non minùs, quàm Catholici ubivis admittantur ad honores et magistratus publicos. Ut in supremis Regni tribunalibus (quæ parlamenta vocant) pari numero constituantur iudices è Catholicis et Hugonottis. Ut nihil controversiæ moveatur contra sacerdotum et monachorum conjugia jam contracta; eorùmque liberi censeantur tanquam legitimi. Postremò etiam, ut Alenzonio tribuatur Ducatus Andegavensis cum pensione annua centies millium aureorum etc.* Sed hæc repentina & coacta pacificatio rursus intra annum concidit; adeoque fuit instar glaciei, quæ hieme rigente coit, & sole æstivo solvitur, uti videbimus anno sequente.

Similem suæ Religionis libertatem, pro terris omnibus Romano Imperio subditis, flagitabant hoc anno Principes Lutherani in comitiis Ratisbonensibus. Convocaverat ea Cæsar ad petenda Principum Germanicorum auxilia contra Turcas, qui præcedente anno Hungariæ Christianæ fines invaserant, novàsque iterum invasiones videbantur minitari. Neque magna difficultas erat in inclinandis eò Principum Catholicorum animis. At verò Lutherani seu Protestantes (qui jam sæpe aliàs per eam occasionem favores plurimos obtinuerant) vicissim rogavêre Cæsarem, ut in omnibus Imperii terris generali indulto permittatur absoluta libertas Religionis: paritèrque ut omnes illi, qui in posterum Confessioni Augustanæ se adjungerent, vel jam antè adjunxissent; neque ab æquandis Cathedralium Ecclesiarum dignitatibus ac beneficiis prohiberi, neque ab iisdem antè habitis, mutatæ Religionis causâ, excludi vel privari debeant. Quod cum Imperator non solùm constantissimè recusaret; sed etiam nullo modo in consultationibus publicis tractari sineret: multi ipsorum ausi sunt insolenter edicere & comminari; nihil auxiliorum ad infringendas Turcarum invasiones à se contributum iri, nisi novis hujusmodi postulatis Imperator

cogitur ad perniciosissimam pacem ineundam cum Hugonottis;

*Spond. hic*

*n. 3.*

*Bussier. to.*

*2. hist.*

*Franc. l. 20*

*\*Spond. hic*

*n. 4.*

*Bussier. loc.*

*cit. n. 19.*

Quæ tamen intra annu rursus dissoluta est.

Lutherani

Principes

in comitiis

Ratisbo-

nenfibus

petunt, li-

bertatem

Religionis

permitteri e-

tiam in ter-

ris Catholi-

cis, cum

potestate

ibidè ades-

undi & re-

tinendi Ca-

nonicatus

ac dignita-

tes.

*Chytra<sup>o</sup> in*

*Saxon. ad*

*hunc ann.*

sed hæc po-

stulata, pa-

ci Religio-

nis contra-

ria, non so-



perator consentiret. At imprudentes illæ comminationes propediem repressæ sunt, non solum à Principibus Catholicis (inter quos Jacobus Eltzius, Archiepiscopus Trevirensis, edixisse fertur: *malle se, sibi vivo cutem à corpore universo detrabi, quàm istam Religionis libertatem comprobare*) verum etiam, quod magis admirère, ab ipsomet *Augusto*, Saxoniae septemviro, Lutherano quidem; sed juris & æqui tenacissimo. Nam & hic teste \* Chytræo judicabat, *per hujusmodi postulata perforari pacem Religionis; adeoque et in Cæsaris potestate non esse, Catholicos Principes contra pacis antè dictæ leges compellere, ut Religionem aliam, quam ipsi hæcenus non probassent, suis subditis indulgerent: alioquin pari jure etiam in Cæsaris potestate fore, ut Augustana Confessionis Principes ad Religionem Catholicam suis subditis permittendam cogat.* Ità rursus ab iniquis ejusmodi postulatis desistit; ac tandem impetratis iis, quæ Cæsar expetièrat, comitia hæc die duodecimâ Octobris optato fine conclusa sunt.

Erat hæc ipsa dies S. Maximiliano quondam Laureacensi \* Episcopo & Martyri sacra: eadèmq; die etiam Imperator Maximilianus, cum decreta comitialia, præsentè ipsius filio Rudolpho Romanorum Rege, in palatio senatorio publicarentur, diuturnâ corporis ægrotatione confectus, ad vitam in cælis immortalè abiit, anno ætatis quinquagesimo inchoato. Fuit hic Princeps admodum literatus, pius, pacificus; & quod omnium caput est, Catholicæ Religionis, Fideique antiquæ retinens. Nec ferè aliud quidquam in eo carpitur, quàm quòd ante aliquot annos Nobilibus Austriacis, Luthero deditis, privatam suæ Religionis exercitium indulserit. Sed ad hoc gravissimâ pecuniarum necessitate inductus est. Atque ideo, cum videret postmodum, eosdem extra orbitam ire, contraque præstiti juramenti fidem etiam alios plebejos homines ad Lutherum pertrahere; facinorosam hanc audendi licentiam severissimè compefcuit, uti Marcus \* Hansfizi refert hisce verbis: *Nulla unquam ætas Austriacis Principibus pares referet gratias: qui nisi fuissent eâ, quæ erant, constantiâ, actum erat in Austria de re Catholica. Maximilianus Cæsar, cum videret, quòd res evaderet, Nobilibus istis frenos adduxit; gravibusque edictis primùm, deinde etiam pœnis, veluti perjuros, læsæque Majestatis reos compressit: quo ex capite nonnullos etiam è Palatio et officiis publicis jussit faceffere.*

Vacantem Imperii thronum à morte patris capeffivit ejusdem filius, Rudolphus II, ante annum coronatus Romanorum Rex: cui, post consueta funerum solennia, de Imperatoria dignitate inter primos gratulatus est Salentinus Archiepiscopus, Paderbornensis Ecclesiæ nostræ Administrator. Hic enim adhuc agebat Ratisbonæ, cum comitia finirentur; nec multò post cum perillustri viro

lùm rejiciuntur à Catholicis; verum etiam à septemviro Saxonicò.

\* Chytræus hic l. 23. Saxon.

\* Laureacensis, nunc Passaviensis. Maximilianus II. Imperator, Ratisbonæ moritur. Spond. hic n. 14. Chytræus & alii.

\* Hansfiz. in hist. Episc. Passav. pag. 631. n. 6.

Succedit ejusdem filius Rudolphus II. Romanorum rex.



viro Casparo de Fürstenberg, & aliis intimorum consiliorum arbitris, ad Rhenum inferiorem rediit, Ecclesiarum suarum commodo prospecturus. Nihil optimo huic Præsuli syncerioribus in curis erat, quam utramque Dioecesim suam à luporum invasionibus custodire, Catholicæ Religionis florem reducere, scholas pro juventute melius formanda instituere, præfecturas, arcésque oppignoratas ab ære alieno expurgare. Et quidem (ut de rebus hoc anno gestis incipiam) die vicesimâ octavâ Maji, priusquam ad Imperii comitia se conferret, præclarissimum diluendi æris alieni specimen dedit in redimendo Metropolitanæ Colonienfis territorio, quod vulgò *Vestam Recklinghusanam* nominant. Hanc ab annis fere centum & quinquaginta possidebant illustrissimi Comites Schawenburgici; quibus hæc olim, sub Electore & Archiepiscopo Theodorico de Môrsa, pignori data erat pro septendecim florenorum aureorum millibus, ac præterea quingentis & quinquaginta. Neque omnium successorum ullus ab eo tempore inventus est, qui tam ingentis pecuniæ debitum expungere, conaretur. Quod cum indignum duceret Salentinus; magnis animis rem aggressus, ingentem illam pecuniarum vim hoc anno Schawenburgicis Comitibus, licet admodum invitis, reddidit: simulque *Vestam Recklinghusanam*, alieno rursus à nexu liberatam, cum immortalis sui nominis gloria Metropolitanæ Capitulo tenendam, ac possidendam tradidit.

Nec minora suæ caritatis & Pastoralis curæ specimina Dioecesi Paderbornensi præbuit, cum è comitiis Ratisbonensibus in Ducatum Westphaliæ, indeque Neuhusium & Padibornam rediit. Nam, ut refert Kerffenbrochius, Beverungam arcem & oppidum, in ripa Visurgis positum, redemit; Nihemenses decimas, & molas aliquas prope Saltzkottenam, à pignore alieno solvit; insignem suppellectilem argentariam, Rege dignam, pluribusque florenorum aureorum millibus æstimatam, successoribus Principibus pro Episcopali mensa liberalissimè donavit; ac demum, quo nil magis Paderbornæ necessarium erat, pro meliori juventutis institutione novum inibi litterarum gymnasium prope majorem Ecclesiam adornavit, quod ab ejus nomine *Salentimianum* appellatum est. Primum hujus novæ gymnadis Rectorem dixit Magistrum Hermannum Kerffenbrochium, virum apprime doctum, & à descripta Monasteriensium Anabaptistarum historia celebrem: qui & biennio post in evulgato Paderbornensium Episcoporum catalogo utitur hoc titulo: *M. Hermannus Kerffenbroch, schola Padibornensis et collegii Salentimiani moderator*. Huic deinde plures alios Magistros ac Præceptores addidit; antiquum, desertumque monasterium

Salentinus  
Archiep.  
Colon. à  
Comitibus  
Schawen-  
burgicis  
Vestam  
Reckling-  
husanam  
redimit.  
*Dethmar.*  
*Müller. in*  
*chron. Tre-*  
*mon.*  
*Merffaus*  
*Cratopol.*  
*in annal.*  
*Archiep.*  
*Colon. sub*  
*Salentino.*

Idem, ut E-  
piscop⁹ Pa-  
dibornen-  
sis, multa  
ibidem re-  
dimit,

Argentariâ  
supellectilē  
preiosam  
Ecclesiæ Pa-  
derbornen-  
si donat.  
*Kerffenbr.*  
*in catal.*  
*Ep. Pad.*  
Et Gymna-  
sium Salen-  
tinianum  
Paderbor-  
næ instituit.  
*Kerffenbr.*  
*ibid.*  
*\*in præsa-*  
*tione ad E-*  
*piscopum.*

Mino-



Minoritarum unà cum omnibus ejusdem bonis ac redditibus Magistrorum sustentationi applicuit, novos alios proventus, tum à se, tum à Majori Capitulo assignatos, in augmentum foundationis adjecit: ac demum, ne saluberrimum illud opus ex defectu inspectionis rursus in pejus rueret, ineunte Februario sequentis anni quatuor earundem scholarum Provisores constituit, qui perpetuam assignatorum reddituum curam gerant, bona aliis oppignorata redimant, Præceptoribus & Magistris tempore debito suum stipendium aut minerval solvant, & omnia, quæ ad hujus gymnasii conservationem, florémque pertinent, sedulo procurent. Hi autem Provisores erant viri selectissimi, & in summa auctoritate constituti: nimirum è Clero primario, Cathedralis Ecclesiæ Decanus, Senior, & Scholasticus; è secundario autem, Curia Episcopalis judex Ecclesiasticus, quem aliàs vulgò *Officialem* vocant, uti docent hæc ejusdem fundatoris literæ, è lingua vernacula in latinam versæ:

Literæ Salentini de hac re.  
Ex veteribus mss.

*S*alentinus, Dei gratiâ sanctæ Colonienfis Ecclesiæ Archiepiscopus, S. R. I. per Italiam Archicancellarius, - - - Paderbornensis Ecclesiæ Administrator etc. Cùm Nos rei Christianæ, bonique publici promovendi causâ, nec non ad rectam juventutis educationem et institutionem, in urbe nostra Paderborna emendationem et reformationem scholarum fieri, easque idoneis Præceptoribus adornari curaverimus: bona etiam, redditusque certos unâ cum Capitulo nostro eum in finem seposuerimus, unde Præceptores ali, et scholarum fabrica in posterum conservari debeant: hæc autem bona ac redditus fortasse jaçturam aliquam vel detrimentum capere possint, nisi è præcipuis viris provisos et inspectores aliqui à nobis ordinati ac deputati fuerint: idcirco provisos, inspectores, et curatores deputavimus et ordinavimus, deputamus etiam et hisce literis ordinamus Reverendos, Doctissimos, et Honorabiles Consiliarios nostros et Officialem, dilectos ac devotos, Henricum de Meschede majoris Ecclesiæ Decanum, Philippum de Westphalen Seniore, Wilhelmum de Schilder Scholasticum, et Lubertum Mejer juris utriusque Licentiatum: iisdem seriò demandantes, ut scholarum supra dictarum proventus, redditus, ac bona in hoc Episcopatu nostro Paderbornensi sita, ad easdem applicent; res pignori innexas redimant; cuilibet præceptori seorsim suum stipendium assignent, ac tempore debito persolvi curent; insuperque sedulo prospiciant semper, ut idonei præceptores admittantur, iisque summa cum industria suas functiones in scholis obeant. Quem in finem etiam prædicti provisos ministrum aliquem instituere vel adornare poterunt, qui ipsis annuas omnium acceptorum et expensorum proventuum rationes reddere, nobisque et nostris ad Paderam successoribus ea de re plenariam informationem ac notitiam exhibere queat. Ut autem hæc ordinatio, cura, et inspectio futuris temporibus



bus non intereat, sed perennet; vigore harum literarum ulterius constituimus, ut huiusmodi cura et inspectio scholarum continuè penes Decanum, Seniorem, et Scholasticum prædictæ majoris Ecclesiæ, nec non penes Officialem, vel Curiam nostram Ecclesiasticam iudicem, in posterum perseveret, et per eosdem assidue peragatur. - - - In cuius rei testimonium hisce literis arcanum sigillum nostrum appendi iussimus. Id quod factum est anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo septimo, die sextâ Februarii.

## Annus Christi 1577.

GREGORII XIII. Pontificis 5. & 6.  
 RUDOLPHI II. Imperat. 1. & 2.  
 SALENTINI Episcopi Pad. ultimus.



Isi nostræ me fallant literæ, Salentinus Episcopus à fine præcedentis anni permagnam hujus hiemis partem Neuhufii & Paderbornæ mansit, ut ibidem interea temporis expediret omnia, quæ ante Episcopatus sui abdicationem, hoc anno factam, expediri & confici peroptaverat. Inter alia adhuc eidem summopere in votis erat, ut Paderbornenses inter & Colonienfes componeretur diuturna controversia de jurisdictione in duobus Angariæ pagis, Erwete & Westerkotten, nec non salinariis Westerkottensium officinis. Paderbornenses jurisdictionem illam sibi arrogabant partim ex diuturno illius exercitio, partim ex antiquissima donatione Conradi II. Imperatoris, qui anno supra millesimum vigesimo septimo Curtem Regalem Erwete, cum omnibus ad eam pertinentibus areis, adficiis, terris cultis et incultis, imò etiam cum banno et mercatu apud eandem curtem haberi solito, Paderbornensi Ecclesiæ perpetualiter habendam tradidit, uti videre est apud Schatenium. Contrà verò Colonienfes jus & jurisdictionem suam fundabant in eo, quòd Fridericus I. Imperator anno 1180.\* totum Westphaliæ & Angariæ Ducatum Colonienfi Ecclesiæ dederit (quasi verò ex Henrici Leonis exuviis donare plus potuerit, quàm in devicti Ducis potestate fuit) simulq; allegabant aliqua usurpatæ illius jurisdictionis exempla. Itaque, ut spinoso huic dissidio finem imponeret Salentinus; eò rem deduxit, ut hoc anno ab utraque parte constituti fuerint duo arbitri, qui partium ambarum jura diligenter examinent, & quod æquum, rectumque viderint, collatis inter se consiliis pronuntient. Quid autem ab his effectum, & quomodo lis ista postmodum in plures adhuc annos protracta fuerit, suo tempore explicatiùs enarrabitur.

Salentinus Episcopus Paderb. & Archiepiscopus Colon. plerâq; hiemis parte moratur Paderbornæ:

Ex variis literis Pad. Conatur inter Colonienfes & Paderbornenses componere litem de pagis Erwete & Westerkotten. Ex veteribus mss.

\*Vide Schaten. ad istud annum.

Appe-



Visitat Paderborn, Diocesim & vetera illius monumenta: Ex veteribus mss.

Appetente subinde vernali tempore, zelosissimus Episcopus non minimam Diocesis partem visitandarum parochiarum causâ peragravit. Atque eâ occasione, præter alia complura, quæ ad salutem animarum curandam pertinent, etiam suis oculis inspicere dignatus est singulares aliquas Diocesis nostræ antiquitates & monumenta: puta, fontem Altenbeganum, vulgò dictum **Bulserborn** / quotidie per aliquot horarum intervalla nunc aquis omnibus destitutum, nunc eas iterum cum ingenti sonitu per herbas & gramina copiosè provolventem: tum desertum Sennæ, veteresque campos & saltus, olim Varianâ clade & Arminii victoriâ celebres: indè rursus prope Wewelsburgum & Brenckam pervertustas Hunnorum fossas & aggeres, ab Henrici Aucupis triumpho claros; aliâque id genus monumentorum Paderbornensium vestigia, quæ Ferdinandus Episcopus toto libro doctissimè complexus est. His autem perlustratis, Arensbergam abiit, ibidem pariter, & in vicino Westphaliæ Ducatu, curaturus ea, quæ ad subditorum salutem, & Catholicæ Religionis integritatem profutura cerneret.

Defuncto Præposito Wilhelmo Westphalen, electionem Theodori Fürstenbergii confirmat. \*vid. dicta ad ann. 1570.

Interea die septimâ Julii Paderbornæ moritur Reverendissimus ac Perillustris Dominus Wilhelmus de Westphalen, Cathedralis Ecclesiæ Præpositus. Cujus obitus vel idcirco plurimum deplorandus erat, quòd pro tuenda Fide Romano-Catholica curam semper egregiam ac singularem gereret, uti liquet ex dictis \*alibi. Verum (quæ Deo laus & gloria) tam illustris viri decessum octiduo post compensavit ejusdem successor, Reverendissimus ac Perillustris Dominus, Theodorus de Fürstenberg, Cathedralium Ecclesiarum Trevirensis ac Paderbornensis Canonicus, peculiari dispositione Numinis electus die Lunæ, decimâ \*quintâ Julii. Erant id temporis Canonici Capitulares Paderbornæ, præter Theodorum electum, Henricus de Meschede, Decanus, Philippus de Westphalen, Senior, Mauritius de Spiegel, Bernardus de Büren, Georgius de Spiegel, Jodocus de Borch, Camerarius, Wilhelmus ab Hatzfeldt, Walterus à Brabeck, Roserus de Westrem, Zerchius de Westrem, Alhardus de Quernheim, Melchior de Plettenberg, Wilhelmus de Schilder, Scholasticus, Joannes de Hörde, Hermannus de Winckelhusen, Henricus à Pappenheim, Fridericus de Wendt, Theodoricus de Raesfeldt, Rotgerus ab Horst, & Joannes de Hanxleden. Hi omnes & singuli (ut ex instrumento electionis constat) eâ concordia & unanimitate sua vota contulerunt in Theodoricum suprâ dictum, ut aperto scrutinio ne vel unus omnium repertus fuerit, qui in cujuspiam alterius per-



personam inclinârit. Proinde electionem hanc, non finè Superum afflatu factam, continuò transmisère Salentino Episcopo, qui adhuc agebat in Ducatu Westphaliæ: rogantes & supplicantes, ut eam auctoritate ordinariâ (sic enim ferebat istorum temporum consuetudo) ratam habeat, & clementissimè confirmet. Id quod etiam ab eo factum Arensburgæ, die vicesimâ sextâ mensis Augusti; uti docent hæ ejusdem literæ, Theodoro electo\* missæ:

\*Litera Salentini, in archiv. majoris Ecclesie.

**S**alentinus, Dei gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesie Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Westphaliae et Angariae Dux, nec non Administrator Ecclesie Paderbornensis, Comes et Dominus in Isenburg etc. Venerabili, devoto, nobis dilecto Theodoro à Fürstenberg, Cathedralis Ecclesie nostræ Paderbornensis Electo Praeposito, salutem in Domino. Cùm superioribus diebus, proximus prædecessor tuus Guilielmus Westphal, prædictæ Ecclesie, dum viveret, Praepositus, vitam cum morte commutâisset; eaque ratione, defuncto illo, Decanus et Capitulum, Ecclesie consultum iri volentes, alium in demortui locum subrogare sategerint: compertum, relatûmque nobis est, te vocatis vocandis, omnium concordantibus suffragiis in Praepositum sæpe dictæ Ecclesie electum esse: supplicatûmque sit, ut te, Majorum nostrorum more, auctoritate nostrâ ordinariâ confirmare, dignaremur. Itaque hujusmodi precibus inclinati, decretòque electionis præfata nobis præsentato, ac per nostros ad hoc deputatos Commissarios, uti moris et juris est, diligenter discusso, et Rotulo testium per eos examinatorum per nos viso et examinato, quum suprâ dictam electionem de persona tua rite et Canonice factam constet, eandem auctoritate nostrâ ordinariâ approbavimus, admisimus, et confirmavimus: pro ut approbamus, admittimus, et confirmamus; tibi que (recepto abs te primitus juramento solito) præsentium tenore committimus, ut munus Praepositurae subeas, omniâque, quæ huic provinciae atque dignitati incumbunt, expedias, faciâsque. Non obstantibus, in contrarium facientibus quibuscunque. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus, manu nostrâ propriâ subscriptis, appendi fecimus. Datum ex castro nostro Arnspergo, die vicesimâ sextâ mensis Augusti, Anno à Nativitate Domini millesimo, quingentesimo, septuagesimo septimo.

Post hæc Salentinus, tandem acturus id, quod emorientis familiaris propagandæ causâ jam pridem animo volutaverat, ex Arensburgensi castro Padibornam rediit; ibidemque die quintâ Septembris\* in Capituli majoris confessu Paderbornensem infulam abdicavit, non finè maximo omnium subditorum dolore: qui, uti venientem cum gaudio suscepere; ita recedentem penè cum lachry-

Paderbornensem Episcopatum die 5. Septembris; \*Kerßenbr. in catal. Ep. Paderb.

Kkk

mis



Colonienſe mis proſecuti ſunt. Tum deinde citatis itineribus Coloniam Ubiorum properans, etiam illic die decimâ quartâ Septembris in ſenatu Episcopatu die 4 ejufdem abdicat, & paulò poſt uxorem ducit.

*Brower. in annal. Trevir. Kerſſenbr. loc. cit. Cratopol. in annal. Archiep. Colon.*

Capitulari Archiepiscopatûs & ſeptemviratûs inſignia depoſuit: nec longè poſt, nimirum IV. Idus Decembris, ut labanti Comitum Iſenburgicorum proſapia mâſculeam prolem ſuſcitaret; adhuc Ordinum ſacrorum expertus, cum Antonia Wilhelmina, Joannis Comitis Arembergensis filia, ſolenne matrimonium Bonnenſi in oppido contraxit. Præſuit utrique Dioceſi cum ſumma laude, Princeps verè pius, prudens, Catholicus, religioſè parcus, & munificus: verbo talis, in quo nihil culpari potuit, quàm quòd Episcopopus non maneret. Certè hac odioſâ renuntiatione non modò ſibi; ſed & utrique Episcopatu à ſe dimiſſo vehementer nocuit. Sibi quidem, quia è tanta dignitate ad exigui Comitatus anguſtias devenit; & familia Iſenburgica, quam ab interitu vindicare voluit, poſtea tamen in Erneſto ipſius filio\* proſus intercidit. Suis verò Episcopatibus, quia tam Coloniae, quàm Paderbornæ, inſeliciffimâ Capitularium electione tales (prò dolor!) ſucceſſores habuit, qui ſuis Dioceſibus extremam ferè perniciem attulère; uti ex annorum ſequentium decurſu manifeſtum fiet.

\*Imhoff. in  
noſit. Proc.  
S. R. 1 l. 6.  
c. 7. n. 3.

HEN-





**HENRICUS**  
 Saxo-Lavvenburgicus,  
 ARCHI-EPISCOPUS BREMENSIS,  
 ADMINISTRATOR OSNABRUGENSIS,  
 ET  
 solo nomine tenus  
 EPISCOPUS PADERBORNENSIS  
 XLIV.

Annus Christi, ut supra.

GREGORII XIII. Pontif. 6.  
 RUDOLPHI II. Imper. 2.  
 HENRICI Admin. Paderb. 1.



Ræclarissimè se habuerant Cathedralis Eccle-  
 siæ nostræ Canonici, cùm ante paucos men-  
 ses in locum defuncti Præpositi, Wilhelmi  
 de Westphalen, communi suffragio delege-  
 rant Theodorum Fürstenbergium, Catholi-  
 cæ Religionis defenforem ac tutatorem opti-  
 mum. At paulò post, egregium hunc ar-  
 dorem, zelumque orthodoxæ Fidei, turpis-  
 simo facto corruperunt; cùm Salentinus Præ-  
 sul, conjugales thalamos amplexurus, Paderbornensi Episcopatu  
 nuntium remisisset. Erant adhuc eo tempore in Cathedralis Ec-  
 clesiæ nostræ Collegio non pauci viri præstantissimi ac probè Ca-  
 tholici: è quibus (utì postmodùm Theodori Fürstenbergii exem-  
 plo patuit) facillimè desumi poterat Episcopus, mitrà Paderbor-  
 nensi

Paderbor-  
 næ in locū  
 Salentini  
 improspere  
 deligitur  
 Henricus, è  
 Domo Saxo-  
 Lavvenburgica,  
 Archiepiscop⁹  
 Bremensis  
 &c.  
 Kerffenbr.  
 in catal.  
 Ep. Pad.  
 Chytræus  
 in Saxon.

EN-



nenſi dignus; niſi plurimorum iudicia cenſuiſſent, ad ejuſmodi honores in hiſ temporum difficultatibus adſciſcendum eſſe Principem: auctoritate & armis maximè valentem. Talem verò credebant fore Henricum Saxo-Lawenburgicum, Archiepiſcopum Bremeniſem, Adminiſtratorem Oſnabrugeniſem, & Episcopatus Monasterienſis competitorum, Coloniae quondam in ſtudiis enutritum. Is enim, licet ad Lutheranae Religionis dogmata non mediocriter affectus, ideòque nondum à Sede Pontificia ad Oſnabrugeniſem Cathedram admiſſus aut confirmatus eſſet; eam tamen animi ſui propenſionem ambidextrâ ſimulatione etiamnum obtegebat: vidique literas ipſius de anno 1575, in quibus \*dolore crocodilino queritur: ſe apud Sanctitatem Pontificiam humillimè, et cum omni obſequentia debita, pro obtinenda confirmatione ſua inſtituiſſe: ab ea tamen impetranda ſiniſtris aliorum invidentium denuntiationibus præter omnem exſpectationem hæcenus impediri; neque tamen adhuc penitens deſperare, quin eã tandem pro ſuo, ſuorumque voto potiturus ſit. Itaque hiſ, aliſque fucis & ſimulationibus fascinati Canonicorum pluri-  
mi (frustra diſſuadentibus aliis, qui anguem ſub herba latitantem verebantur) demum die decimâ quartâ \*Octobris Henricum antè dictum ad Eccleſiæ noſtræ Adminiſtrationem poſtulavère: ſimul additâ hac lege, ut ſingulis annis per tres meſes in Dioceſi \*Paderbornenſi, per tres etiam in Oſnabrugeniſi, & per ſemestre ſpatium in Archiepiſcopatu Bremeniſi, aulæ ſuæ ſedem, vel, ut vulgò nominant, *Reſidentiam* caperet. Id quod etiam die decimâ ſextâ Novembris ab eo acceptatum, & ſubſcriptâ manu propriâ roboratum eſt.

Infeliciffima quidem fuit hæc electio ſeu poſtulatatio viri, de puritate Fidei Catholice tam ſuſpecti. At longè infelicior fuit ea, quâ Capitulum Coloniense die quintâ Decembris, poſtpoſito Erneste Bavaro, Hildeſienſi & Friſingenſi Episcopo, in Salentini locum delegit Gebhardum Truchſefium: illum, inquam, Truchſefium, qui poſtea ſacrilegis nuptiarum ſuarum tædis non modò Dioceſin Coloniensem; ſed etiam Weſtphaliam penè totam in flammas bellorum egit. Erat is ex perantiqua familia Truchſefiorum de Waldburg, laudatiſſimi quondam Principis, Ottonis Truchſefii, Cardinalis & Episcopi Auguſtani, ex fratre nepos, & Præpoſitus Auguſtani. Honores Archiepiſcopales potiſſimum conſecutus eſt arte & operâ Hermannii Comitis Neuenarii, hominis apprime Lutherani, ideòque Erneste Bavari potentiam & zelum ſyncerum veriti. Is enim Canonicos illos, quos vel pede non factis firmo ſtare, vel ad partes Proteſtantium nonnihil propendère noverat, ſigillatim adiit: eòſque partim blandiloquâ ſui oris eloquen-

qui Catho-  
licam Reli-  
gionem  
egregiè ſi-  
mulabat, li-  
cèt animo  
Lutheranus  
eſſet.

ex variis  
mſs. vete-  
ribus.

\*Litera ex  
antogra-  
pho Archi-  
epi Oſnabr.

\*Kerſenb.  
in catal. Ep.  
Paderb. &  
alia vetera  
mſs.

\*Chytraus  
in Saxon.  
Hamelm.  
in chron.  
Oldenb.  
pag 436.

Coloniae in  
Salentini  
locum die  
5. Decem-  
bris deligi-  
tur Gebhar-  
dus Truch-  
ſefius,  
Michaël ab  
Iſfelt l. 1.  
belli Colon.  
Klockner.  
in hiſt. Pa-  
derb. mſs.  
part. 3.



quentiâ, partim etiam promissionibus aut inductionibus subdolis, in Gebhardi vota sic pertraxit; ut, cum in senatu Metropolitano ad suffragationem veniretur, Gebhardus uno voto Ernestum Bavaram antecesserit. Et hic initio quidem, nisi insignis, perfidusque simulator fuerit, præferebat animum probè Catholicum. Etenim sequenti anno Confluentiæ, die vigesimâ quartâ Aprilis, iuramentum illud, quod Ecclesia Romana ab Episcopis & Archiepiscopis juxta sacrorum Canonum præscripta postulat, Jacobo Archiepiscopo Trevirensi, tanquam Apostolicæ Sedis delegato, in præsentia multorum præstitit; nihilque aliud, quod ad veram Catholicæ Fidei confessionem requiri potest, prætermisit. Qua de causa etiam Gregorius XIII. Romanus Pontifex, repudiata Ernesti Bavari contradictione (qui ad Curiam Papalem appellaverat) non modò Gebhardi electionem confirmavit; verùm etiam, ut in literis iisdem additur, penitissimè persuasus fuit, neminem illo magis idoneum, & Religionis orthodoxæ studiosiorem, aut Ecclesiasticæ disciplinæ observantiorem fore. Hæc autem spes quâ & quali unius Daililæ seductione postmodum interversa fuerit, suo tempore declarabo.

Ceterùm & hoc anno Warendorpii in Episcopatu Monasteriensi casus admodum funestus die trigesimâ Aprilis contigit. Civis aliquis domi suæ mactaverat vitulum, qui fortè paulò antè, quòd à matre divulsum se doleret, multum clamoris dederat. Id cum sollicitè observâset ejusdem filiulus; conversus ad eum pater, cultrumque lanionium ostendens, dixerat: *sic et tibi fiet, si in posterum vocifereris, et inconditos in domo mea ploratus edas.* Credidit puer hanc esse pœnam parvulorum, qui multùm vociferantur & ejulant. Paulò post uterque parens aliquantisper exhibant ædibus; & alium pusionem, adhuc in cunis jacentem ac dormientem, commendat mater filiolo suprâ dicto, donec ipsa protinus reversa fuerit. Interim evigilat in cunis pugio, & ut fieri persæpe solet, ingentem simul vagitum edit. Quem ubi filiulus natu major compescere non valeret; memor verborum sui patris, lanionium cultrum haud procul à se jacentem arripit, & vagienti fraterculo suo jugulum abscindit. Qui & indè, velut re bene gestâ glorians, matri suæ, post breve tempus redeunti, procurrit obviam; & ei cultrum adhuc sanguine madentem exhibet: *ecce!* ait, *o mater! quia noster in cunis pugio tam acerbè sivit, nec absistere à ploratu voluit; ego eidem perinde, ac pater meus vociferanti vitulo, guttur abscidi.* Consternata hoc viso mater, & præ dolore subitaneo penè, quid ageret, facerétque, nescia, continuò sanguineum cultrum filiolo suo è manu eripit, & cordi ipsius ita intorquet, ut exanimis in terram cade-

Qui & aò  
sequente  
publicam  
Religionis  
Catholicæ  
professionē  
fecit,

Klockner et  
Isfelt loc.  
cit.

Et paulò  
post à Gre-  
gorio XIII.  
Papa con-  
firmatus est

Auctores  
iidem.

Funestissi-  
mus casus,  
qui hoc an-  
no contigit  
Waren-  
dorpii.

Dethmar<sup>o</sup>  
Müller. in  
chron. Tre-  
mon.



caderet. Indè verò adhuc magis exterrita, & velut amens dolore facta, rursus cultrum ex corde ipsius extrahit; séque ipsam è vestigio confodiens, miserabili catastrophe tragœdiam infaustam claudit.

In Belgio  
Joannes  
Austriacus,  
à Rege con-  
stitutus gu-  
bernator.

*Haræus in  
ann. brabant.  
Strada de  
bello Belg.  
Dec. 1. l. 9.*

Paulò post,  
in eâ apud  
omnes invi-  
diam trahi-  
tur, ut ab  
iisdem patri-  
æ hostis  
declaratus  
sit,

*Haræus &  
Strada loc.  
cit.*

Vocato in  
locum ejus  
Matthiâ Ar-  
chiduce.

*auç. iidem*  
In Gallia  
pacificatio,  
præcedente  
anno cum  
hugonottis  
inita, re-  
scinditur  
occasione  
novi fœde-  
ris Catho-  
lici.

*Spond. ad  
ann. 1576.*

Satis hæc de rebus ad Westphaliam & vicina loca pertinentibus. Nunc etiam delibanda sunt pauca de rebus extraneis; & in primis quidem de Belgio, ubi adhuc omnia perturbata ac plena confusionis erant. Advenerat illuc sub finem anni præcedentis Joannes Austriacus, à Philippo Rege designatus gubernator; studebatque istarum Provinciarum Ordines omni humanitatis & officiorum genere sibi plurimum devincire: ita, ut etiam ipsorum pacandorum causâ Hispanos, exteròsque milites, de quorum insolentia potissimum conquesti erant, cum Philippi Regis consensu ab se dimitteret. Placebant hæc summopere Statibus Catholicis; neque jam aliud ad quietem Belgii reducendam deerat; quàm ut etiam Orangius & ejusdem focii in communem pacem, cum Joanne Austriaco à Catholicis initam, suos animos inclinarent. At ille, ut erat pestilens hæreticus, non modò pacem illam cum stomacho rejecit; verùm etiam Catholicorum virorum plurimis fallacissimè persuasit, eam animi facilitatem in Joanne Austriaco simulatam esse, neque ad finem alium, quàm ad eosdem postea fraudulentius opprimendos tendere. His autem susurrationibus effectum est primò, ut in multorum animis nasceretur aliqua in Joannem diffidentia. Deinde etiam processu temporis adversus eum effusi sunt seditiosi quidam & infames libelli, qui hujusmodi igniculos jam accensos alerent. Ad extremum denique, flamma ista sinistris quarundam literarum interpretationibus eum in modum crevit, ut Joannes Austriacus die septimâ Decembris à seditiosis Ordinibus velut publicæ tranquillitatis perturbator declaratus; & Matthias Archi-Dux, in scio fratre suo Rudolpho Imperatore, in ejus locum evocatus fuerit. Quæ res iterum diuturno tristissimòque bello feralem scenam aperuit, Geusiis interim sub Orangio duce suo fortunam ad vicina quælibet explicantibus.

In Galliis interim Catholica Religio nonnihil iterum attolli cœpit occasione novi Catholicorum fœderis; quod, quia contra hostes antiquæ Fidei percussum erat, *fœdus sacrum* appellari voluere. Auctores illius fuerant quàm plurimi viri Nobiles in Picardia & Pictavia: qui, cum vidissent anno superiore nocentissimam illam pacificationem, quâ Henricus Rex, armis Hugonottorum obrutus, omnem illis exercendæ hæreseos libertatem indulserat; facinus tam indignum averfati, se, suâque omnia, etiam usque ad sanguinis & vitæ profusionem, devoverunt pro tuenda Fide Catho-



tholica, & excludenda cujuslibet alterius Religionis libertate. Notitia illius tam pii, sacrique foederis primùm ad Regis aures permanavit in comitiis \*Blesensibus, exeunte anno priore cœptis. Deinde in iisdem comitiis actum, & ad instantissimas prædictorum foederatorum sollicitationes conclusum est, pacificationem anni prioris, velut Catholicæ Religionis nocentissimam, rescindi ac revocari oportere. Postremo etiam, cum Hugonotti id recusarent, iterùmque se ad arma in Regem verterent; immixtis duobus exercitibus eum in modum domiti & oppressi sunt, ut protensis ferme ambobus brachiis ad pacem anhelaverint. Quæ & illis postea die quintâ Octobris concessa fuit his conditionibus: *Religio Catholica restituatur in omnibus Regni urbibus et locis, unde ejecta fuerat. Exercitium Calvinianæ Religionis permittatur solum in iis locis, quæ ejusdem exercitio ante hoc bellum ultimum deputata sunt. Liberum Hugonottis esto, sine suæ Religionis exercitio habitare, quocumque in loco velint: ita tamen ut ibidem festa Catholicorum servant, et in matrimoniis contrahendis etiam observent consanguinitatis et affinitatis gradus, à Romana Ecclesia præscriptos.*

\* Spond. ib. n. 8.

Hugonotti, Regis armis devicti, adiguntur ad novam pacificationem Catholicæ Religionis magis faventem. Spond. ib. n. 6 & 7. Buffier. 10. Franc. l. 20.

## Annus Christi 1578.

GREGORII XIII. Pontificis 6. & 7.

RUDOLPHI II. Imperator. 2. & 3.

HENRICI Admin. Paderb. 1. & 2.



**D**rope aberat, ut Catholica Religio novam hoc anno plagam accepisset in Westphalia, nisi imminens illud malum egregio quorundam virorum zelo ac sollicitudine fuisset præpeditum. Joannes Wilhelmus, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, cum ob mortem sui fratris Caroli Friderici, triennio abhinc defuncti, in successione paternorum Ducatum vocaretur; Monasteriensi Capitulo non ita pridem proposuerat, se libenter ab Episcopatu Monasteriensi decessurum, dummodo sibi spem non obscuram facerent de surrogando, ut ipse cuperet, consobrino suo, Ernesto Barvaro, Hildesienfi, & Frisingensi Episcopo. Placebat id summo pere Cathedralis Ecclesiæ Decano Godefrido à Raesfeldt, & aliis antiquioribus, Romanæ Sedi, veterique Fidei addictissimis. Jam enim ex rebus, Hildesii ab eodem gestis, perspicuè nôrant, esse Principem probè Catholicum, atque ejusmodi, in quo sincera Majorum nostrorum Fides ac pietas cum avito splendore generis felicissimè conjuncta sit. Contrà verò Conradus à Westerholt, Scho-

Henricus de Saxen-Lawenburg Monasteriense Episcopatu adipisci nititur fraude & operâ Conradi Westerholtii, ejusdem Ecclesiæ Scholastici. Chron. Monast. ms. Chytraus l. 23. Saxon. ad an. 1574.



Scholasticus, & Pro-Princeps Monasteriensis, etiam si exteriùs fronte & ore simularet, se etiam stare pro Ernesto Bavaro; occultè tamen collimabat in Henricum Saxo-Lawenburgicum, Bremensis, Osnabrugensis, & Paderbornensis, Ecclesiarum Antistitem postulatum: pro quo etiam plurimorum Canonicorum, præcipuè verò juniorum, vota tacitissimè collegerat. Subinde fraudem fraude cumulaturus, non solùm Raesfeldii Decani & seniorum; sed etiam sua, suorumque juniorum vota ad Ernestum defert: mentiturque, eum certò, conjunctis horum suffragiis, ad Monasteriensem infulam assumptum iri, dummodo Joannes Wilhelmus legitimis tabulis Episcopatus, jurique suo renuntiet. Credidit Ernestus astutæ huic, subdolæque vulpi. Nec multò post etiam Joannes Wilhelmus, ab Ernesto monitus, abdicationis suæ tabulas expediri fecit, easque Legatis Monasteriensibus in manus tradidit: cum ea tamen expressa protestatione \* ad Dominos Capitulares à se perferenda, quòd, si in hac re fraudem aliquam animo tegerent, & Ernestum postea dolosè præterirent; hujusmodi abdicatione à se facta nullius planè roboris aut valoris esse debeat. Non præviderat Westerholtius hanc protestationem, die 23 Februarii unà cum literis abdicatoriis in Capitulo propositam. Eà tamen auditâ, ne continuò vulpem detegeret, permisit intrà dies paucos ad novi Antistitis electionem pergi. Scrutatores votorum designati erant, præter Westerholtium, duo Canonici Ernesto Bavaro addictissimi: quibus de more adjuncti fuere Capituli Syndicus, Notarius, ac alii duo testes. Hos Godefridus Raesfeldius Major Decanus, Westerholtii & juniorum conspirationem non imprudenter veritus, jam antè præmonuerat, ut aliquo pedum strepitu signum ederent, si Westerholtius forsàn, aliter ac simulaverat, pro Henrico Lawenburgico suffragium ferret. Prosperrimum sanè consilium! imò & ejusmodi, ex quo pependit salus totius Dioeceseos! cum enim Westerholtius paulò post Henrico Lawenburgico suffragatus esset; atque idè Capituli Syndicus, quasi sputum aliquot extriturus, pedum suorum strepitu fraudem ejus detegeret: Raesfeldius Major Decanus continuò assurrexit, & suspensæ hodiernæ electionis actu è Capitulari congressu abiit, reliquis etiam Canonicis abeuntem è vestigio consequentibus.

\* *Chytræus  
ibid.  
chron. Mo-  
nast. ms.*

Sed ea fraus  
artificiosè  
detegitur à  
Decano  
Godefrido  
Raesfeldio.  
*chron. Mo-  
nast. ms.*

Joannis  
Wilhelmi,  
Clivie Du-  
cis, resigna-  
tio à Gre-  
gorio Pon-  
tificæ pro-  
nuntiatur  
irrita,  
*chron. Mo-  
nast. ms.*

Tum verò in comitiis Dioecesanis, die decimâ quartâ Martii, Monasteriensi in urbe habitis, Joannis Wilhelmi abdicatione, ab eisdem & Ernesti Legatis, publicè revocata est propter defectum conditionis non impletæ: simulque Westerholtius primùm infidelitatis ac perfidiæ convictus coram Statibus patriæ; deinde & Romæ apud Gregorium Pontificem accusatus, velut homo suspectus de hæresi,



hæresi, Principique Lutherano magis, quàm Catholico & probato favens. Quo audito Gregorius Papa, nascenti huic malo occursurus, continuo duplex edictum expediri iussit: unum, quo Joannis Wilhelmi renuntiationem, velut absque Pontificio consensu factam, pronuntiavit irritam ac inanem; alterum verò, quo præcepit Westerholtio, ut intra sexaginta dies Romæ se præsentem sistat, ibidemque in persona propria de criminationibus contra se adductis causam dicat. Ridebat hæc primùm vir ambiguae fidei: imò non solum ridebat ea; sed etiam (ut omnem Romanæ Sedis reverentiam videretur exuisse) literas illas Apostolicas, quibus Romam citabatur, intra ædium suarum septa præalta ex arbore suspendit, non sinè magno Decani & aliorum seniorum opprobrio. At ubi postmodum sequebatur altera, multoque acrior citatio (quâ eidem omnia beneficia & proventus Ecclesiastici tam diu jubebantur subtrahi, donec Romæ se purgasset) Jovi tandem fulminanti cedens, Curiam Papalem adiit: indeque rursus re infectâ Monasterium veniens, abdicato Canonicatu suo & honoribus antehabitis, apud Oistfrisiæ Comitem Cancellariatûs officio potitus est. Joannes autem Wilhelmus ex eo tempore Monasteriensem infulam adhuc retinuit usque ad mortem Henrici Lawenburgici; quæ magno omnium Catholicorum gaudio tandem contigit anno 1585, uti suo loco fusiùs exponetur.

Paderborna interim, quæ eundem Lawenburgicum jam antè ad Episcopale regimen depoposcerat, non sinè lachrymis hoc anno vidit, cuinam lupo Christianas oves commendaverit. Licet enim ille nullum ad Catholicam Fidem ejurandam cogeret; vel ex eo tamen veræ Christi Ecclesiæ plagam admodum luctuosam intulit, quod subditorum suorum cuilibet plenissimam Lutheranae fidei complectendæ libertatem daret. Nam hoc ostio aperto, non solum Paderbornenses cives, quorum animi jam pridem ad Lutherana dogmata propensi fuerant; sed etiam ipsimet Parochi & animarum curatores plenis passibus ad novi Evangelii pascua procurrerunt. Hos inter primus erat Georgius Holthusius, Cathedralis Ecclesiæ concionator, & Pastor ad S. Pancratium, homo quidem disertus & ore promptus; at ejusmodi simul, qui prò dolor! teste \*Kerfsenbrochio, jam pridem *volaverat inter utrumque*. Is, ut primùm sub acatholico Principe nactus est occasionem effundendi venenum in corde latens; continuo rejectâ Fide Catholicâ Lutherum induit, & mulierculam, quam diu deperierat, in urbis totius oculis uxorem duxit. Neque multum temporis intercesserit, quin & alii Pastores urbis in eandem silvam ierint, Holthusii præeuntis exemplo tracti. Certè is, qui in æde Bustorffiensi parochialem

Westerholtius ob hæreseos suspicionem citatur ad curiam Romanam: *chron. Monast. ms.*

Indèque causâ vulsneratâ, perditâque rediens, Canonicatum abdicat. *chron. Monast. ms.*

Henricus Administrator, Paderbornæ, cum ingenti religionis damno, permittit libertatem doctrinæ Lutheranae: *Ex veteribus mss.*

\*Kerfsenb. in catal. Ep. Paderb. sub Joanne de Hoja.



Ipsis etiam animarum curatoribus ab antiqua Fide recedentibus, *Klockner, in hist. Paderb. mss.* cathedram obtinebat Hermannus Kersting, Wiedenbrugenſis (etſi per hunc annum ſe adhuc abſtinuerit à matrimonio, viſurus forſitan, quid Holthuſio præceſſori fieret) à doctrina tamen Catholica ſe averſum exhibere; & Lutheranum virus, quod hucusque texerat, confluenti populo ſuaviloquis verbis inſtillare non deſiit. Oppoſuere ſe quidem huic novatori Buſtorffienſis Eccleſiæ Canonicis; neque permiferunt ampliùs, ut ibidem aliquid ageret vel attentaret, quod Lutheranam, & Romanæ Eccleſiæ diſſentaneam doctrinam ſaperet. At ille nihil indè motus, dereliçto Buſtorffienſi templo repente ſe recepit ad ſacellum S. Laurentii in vicina platea \*vulturea: ibique magno civium favore & applauſu tam diu perrexit Lutheranam doctrinam evulgare, Catholicæ Eccleſiæ ritus explodere, & Euchariftiam ſub utraque ſpecie accurrenti populo miniſtrare, donec haud multò poſt, ſubitaneâ & improvifâ morte infelicem animam ad inferos eieçtaverit, *ſine luce*, ut ajunt, *et cruce mortuus*. Neque has & aliorum Apoſtatarum inſolentias coercere poterant Cathedralis Collegii Proceres: quia & ipſi jam didicerant, vereri Principem infauſto ſidere poſtulatam, & hic acerrimè pro concedenda civibus conſcientiarum ſuarum libertate ſtabat. Ità factum, ut repente urbe totâ Lutheranum Evangelium reciperetur; intrâque unum alterumve annum vix unus & alter in ſenatu aut plebe fuerit, qui antiquam Fidem Romano-Catholicam ſyncero corde ſectaretur.

*Paderbornenſem Dioceſim ingreditur, ex antiquis mſs.*

Inter hæc triſtia ſuæ adminiſtrationis initia, Henricus pseudo-Epiſcopus noſter menſe Julio Neuhuſium ac Paderbornam venit: ubi inter alia gratulationum officia etiam Hermannus Kerſſenbrochius, Salentiniani apud nos gymnaſii Rector, catalogum Epiſcoporum Paderbornenſium à ſe conſcriptum, typiſque Lemgovienſibus editum, novo Principi in xenium obtulit. In eo poterat videre Princeps, quàm probi, ſanctique Præſules Paderbornenſi ſedi à primis Eccleſiæ noſtræ incunabulis præfuerint: è quorum numero (ſi unum excipias Hermannum Wiedanum, poſtea exauctortum) hucusque nemo fuerat, qui doctrinam à Fide Catholica alienam coleret. Sed hæc vel non vidit, vel potiùs videre noluit, quia *oculus* ejus jam erat *nequam*; ſive talis, qui virtuti vitium & præceptis Eccleſiaſticis novam vivendi libertatem ac licentiam anteferebat. Paderbornâ ſubinde poſt moram aliquam profectus eſt ad alias noſtræ Dioceſis urbes & oppida: inter quæ etiam Saltzkotena, à ſalinariis officinis admodum celebrata, honorem habuit, venientem ad ſe Principem intrâ ſua mœnia complectendi. Ibi controverſiam aliquam de pendendo ſalis tributo, quæ ſub ejus deceſſore Salentino mota & nondum finita erat, conſentiente majori

*Saltzkotenam viſitat, controverſiam aliquâ ibi componit, novâſque molas ædificari jubet,*



majori Capitulo feliciter composuit; vetera Dominorum salinorum jura, libertates & privilegia, die vigesima 2da Augusti gratiosissime confirmavit; simulque molam novam frumentariam, oleariam, & fulloniam, pro commodiore civium & accolarum usu ab imis fundamentis erigi ac fabricari, jussit, uti ex literis diversis constat.

Digresso Principe, cum omnis materia, ad exstruendas hujusmodi molas necessaria, studiosè convehi & comparari cœpta esset; repente fontes *Hederae*\* fluvii, qui aliàs copioso fluxu Saltzkottenam alluebat, aquam solito parciolem protrudere, visi sunt. Factaque tandem investigatione sedulâ compertum est, supra dictam annis imminutionem proficisci ex eo, quòd Canonici Regulares in Bòdeken, ut uberiolem aquam ad molendina sua derivarent, in flumine *Alma* voraginosos aliquos terræ fauces obstrui & obturari fecerint. Quo intellecto Henricus Administrator, qui eo tempore jam in Osnabrugensem Dioecesim reversus erat, Saltzkottenensî Gogravio suo quantocyus imperavit, ut hujusmodi foramina ac subterraneos meatus recludi faciat, atque undis in terram subsidentibus fluxum aliàs consuetum curet. Ecce hîc ipsas Henrici Antistitis literas, hac de re ad Gogravium Saltzkottenensem datas, & è lingua germanica latinè redditas:

**D**ilecte fidelis. Jam edocti sumus, quòd Pater, et Conventus monasterii nostri Bòdecentis, voragines quasdam vel hiatus terra in fluvio nostro Alma, ex quo rivus noster Hedera non parvum incrementum accipit, obturare, atque eâ ratione nobis et molendino nostro in urbe Saltzkottena nocumentum aliquod inferre, conati sunt. Id quod ab iis minime exspectavimus; ideoque meritò inducimur, occasionem congruam circumspicere, quâ his ipsorum ausibus vicem aliquam rependamus. Ne autem interea nobis detrimentum aliquod ea ex parte accidat; hisce tibi precipimus, ut non minùs, ac ab aliis memorati molendini nostri curatoribus hactenus factitatum est, prædictorum hiatusum obturamenta excutias, fluvialibus undis cursum liberum restituas, neque ullatenus te ab hujusmodi rebus exequendis abstrahi vel retardari sinas. Id si fiat abs te, seriam voluntatem nostram effeceris etc. Datum Fürstenavia in Residentia nostra, die septimâ Novembris, anno 1578.

In Belgio per decursum præsentis anni adhuc omnia tam plena turbis ac tumultibus erant, ut Ordines Catholici, ad avertendum antiquæ Religionis interitum, penè semper alia ex aliis confilia caperent. Matthias Archidux, quem adversùs Joannem de Austria sub finem anni superioris in Belgium evocaverant, non regebat ibi; sed regebatur ab Orangio, vicario suo: qui ejusdem juvenute abusus, non modò multis ex urbibus Religiosos & Catho-

\*vulgò die  
Heder.  
Foramina  
quædam &  
hiatus terræ  
in Alma fluvio à Bòdecentibus  
obturatos,  
pro Saltzkottenensium  
commodo  
recludi jubet.  
Ex literis  
Henrici  
Administr.  
in urbe  
Saltzkottenensî.

In Belgio  
Matthias  
Archidux,  
ab Ordinibus ad regendum  
evocatus,  
non regebat; sed regebatur ab



Orangio, tholicorum Primores expulit; sed etiam Amstelodanum, Philippo cum ingen- Regi haecenus fidissimum, diuturnâ obsidione ad se dedendum ac ti damno submittendum compulit. Contra verò Joannes de Austria, revo- rei Catholi cæ. catis ex Italia militibus Hispanis, quos amore pacis ante annum *Harasus in* abire jusserat, novum adunavit exercitum virorum circiter octo- *ann. brab.* decim millium; deditque eis pro vexillo primario triumphalem Joannes de Austria in- Domini crucem cum hac inscriptione: *in hoc signo vici Turcas, in* signi clade *hoc signo vincam Hæreticos.* Tum deinde cum Alexandro Farnesio fœderatorû exercitum notæ pariter virtutis milite, quem ex Italia unâ cum Hispanicis fundit legionibus obtinuerat, summa cum fiducia processit contra fœde- apud Gem- ratos; eosdémque pridie Kalendas Februarii prope Gemblacum\* blacum. oppidum tam admirabili clade protrivit, ut ejus diei victoria pro- *Auctores* digio magis, quàm robore militari parta videretur. Ceciderunt *iiidem.* ex Hispanis vix decem viri; è fœderatis verò octo vel decem mil- *\*vulgò* lia: captus eorundem belli dux Goignius, multique milites Belgæ: *Gemblours* relata ab hostibus militaria signa quatuor ac triginta, unâ cum im- pedimentis, curribus, tormentis: &, quod magis admirêre, tota hæc victoria solùm à duabus equitum legionibus reportata est, priusquam reliquus miles ad pugnam deveniret. Altero mox die Gemblacum oppidum, ubi sedes belli à fœderatis constituta fuerat, in potestatem Hispanorum venit; & cum eo simul ingens armatura, multorumque mensium commeatus. Nec multò post etiam Lovanium, Tirlmontium, Bovinianum, Sichemium, Diestemium, Nivella, Philippivilla, Limburgum, & aliæ non paucae urbes atque oppida, vel armis admotis domita, vel spontaneâ deditio- ne in Philippi Regis fidem recepta sunt. Jamque nihil aliud ad plenè debellandum deerat, quàm uberiora militum auxilia, & (qui præcipuus belli nervus est) copiosiores pecuniæ, ad persolvenda militum stipendia necessariæ. Quas cum Joannes de Austria diu frustra petiisset ab Hispania, neque tamen aliud indè recipe- ret, quàm sola verba, *quibus bella\* non geruntur*: tandem ex ægritudine animi in morbum lethalem incidit; & consuetis Ecclesiæ sacramentis maturè præmunitus, die primâ Octobris pientissimè in Domino obdormivit. Successorem in officio gubernatoris habuit, quem ipse ante mortem designaverat, Alexandrum Farnesium, Parmæ Ducem, innumeris penè victoriis annorum subsequenti- um decursu inclytum, uti suo loco denarrabitur.

Occupat multas urbes & oppida.

*Auctores iiidem.*

Incidit in morbum & moritur, succedente in ejus locum Alexandro Farnesio.

*Harasus ad hunc annu.*

*Spond. hic n. 4.*

*Strada dec. 1. l. 10.*

*\*Strada ib.*

An-



## Annus Christi 1579.

GREGORII XIII. Pontificis 7. &amp; 8.

RUDOLPHI II. Imperator. 3. &amp; 4.

HENRICI Admin. Paderb. 2. &amp; 3.



**P**aulò antè, quàm anno superiore moreretur Joannes de Austria, rursus in Belgio se ostentare cœperant ingentes Ordinum Belgicorum copiae, post Gemblacense praelium è diversis aliorum Regnorum provinciis accersitæ. Quæ tamen singulare nihil contra Hispanos & Regios profecere; quod ipsimet seditiosi Belgæ magnis animorum dissensionibus à se invicem distracti, ac minimum in tres diversas factiones divisi essent. Prima earum stabat pro Matthia Archiduce nuper accito; cui favebant Flandro-Belgæ, Brabantini, Frisii, Transisalani. Altera pro Francisco Alenfonio, tunc Andegavensium Duce, è Galliis evocato; cui favebant Hannonienses, Artesii, & Flandro-Galli. Tertia pro Wilhelmo Principe Arausionensi vel Orangio; cui perditè adhærebant Hollandi, Zelandi, Geldri, & Ultrajectini, cum Joanne Casimiro Ludovici Electoris Palatini fratre. Observabat hæc sollicitè è suis castris, probissimè communitis, Alexander Farnesius, Parmæ Dux, quem defuncto Joanni Austriaco surrogatum diximus. Ac tamen res Hispanicæ tunc temporis jam in eas angustias redactæ essent, ut è septendecim provinciis Belgii solæ tres, nimirum Luxemburgica, Namurcensis, & Limburgensis, unà cum aliis nonnullis urbibus & oppidis in Philippi Regis fide constantes manserint; sperabat tamen, eam Ordinum Belgicorum dissensionem sibi & exercitui suo ad prosperos armorum progressus non parùm proficere. Nec fefellit ipsum hæc opinio. Nam Alenfonius, cum ad explenda suorum stipendia non sufficeret, exauctorato milite suo sub finem anni superioris in Galliam reversus est; nullo alio tantorum impendiorum fructu, quàm quòd inani titulo *defensor Belgicæ libertatis* à quibusdam appellatus esset. Similiter & Joannes Casimirus, qui præcedenti æstate multa equitum, peditumque milia in Belgium adduxerat; eadem pecuniarum difficultate pressus, ineunte Januario hujus anni in Angliam discessit, visurus illic, ut Elisabetham Reginam flecteret ad privatas, publicasque Ordinum Belgicorum necessitates, præsentem pecuniâ sublevandas.

Lætus hoc eventu Farnesius mense Januario exercitum suum in hostes duxit: captisque primùm levioribus quibusdam oppidis ac munitioibus, per quas annona foederatis intercludi ad Mosam

In Belgio magnus fœderatorum exercitus, ante annu conscripserunt, exeunte eodem aò per intestinas discordias iterum dilabitur. *Spond. ad ann. 1578. Strada dec. 2. l. 1. in initio. Hæraus & alii.*

Alenfonius, Gallie Regis frater, exauctorato milite in Galliam revertitur. *aut. iidem* Joannes Casimirus Palatinus, deficiente suorum stipendio, abijt in Angliam, *aut. iidem* Alexander Farnesius, cognito utriusque

po-



abitu, Joannis Casimiri copias in Arschottanis confiniis hiemantes, & ingenti stipendiorum inopiâ fatigatas. Quas cum ibidem unâ aut alterâ velitatione aliquantulum attrivisset; in eas tandem angustias compulit, ut omnis ille miles domitionem suam libero, securoque in Germaniam comeatu libentissimè pactus fuerit. Nec multò post etiam ipsèmet Joannes Casimirus, qui die decimâ quartâ Februarii ex Anglia Eliessingam renavigaverat, suorum abscessu cognito, sinè gloria sinè milite, sinè omni honore bellico, properatis itineribus in Palatinatum se recepit. Tum verò Farnesius, à residuo foederatorum exercitu nihil adversi metuens, celerrimè se Trajectum ad Mosam obsidet, illudque die 29 Junii tandem expugnat. *Strada ib. l. 2. c. 3. Haræus ib. Spond. hic n. 8.*

Interea Rudolphus Imperator, volente & consentiente Philippo Hispaniarum Rege, pro tentanda Belgicorum tumultuum pacificatione splendidissimum Colonienfè in urbe congressum instituerat; in quo, præter complures ambarum partium Legatos, nomine Cæsaris comparuere Gebhardus Elector Colonienfè, Jacobus Elector Trevirensis, Julius Episcopus Herbipolensis, & Otto Henricus Comes de Schwartzenburg. Hi ut suorum tractatum ac negotiationum feliciter initium caperent, pridie Kalendarum Maji solennem in urbe supplicationem adornârunt; in qua divinisissimum Christi Corpus, unâ cum innumeris Divorum Reliquiis, apparatu maximo circumlatum est. Juxta illud incedebant suprâ dicti duo septemviri, & in medio eorum Nuntius Apostolicus, Joannes Baptista Castaneus, Archiepiscopus Rossanensis in Italia. Ponè sequebantur Julius Herbipolensis, Legatus Imperatoris, quem ab utroque latere conducebant Carolus, Terræ novæ Dux, Legatus Regis Catholici; & Philippus Dux Arschottenfè, Legatus Ordinum Belgicorum. Tum deinde egregii duo Abbates ab iisdem Ordinibus missi, unâ cum ceteris Legatis, Oratoribus, Legatorum consiliariis, & innumera Clericorum, Religiosorum, populique Agrippinensis multitudine, quæ Venerabile Sacramentum anteibat, vel devotis cantibus prosequabatur. His initiis præmissis, die septimâ Maji processum est ad consultationes pacis: magnâ quidem animorum contentione; sed longè minore fructu.



fructu. Licet enim Rex ibidem Ordinibus Belgicis amore pacis concederet omnia, quæcunque salvâ auctoritate suâ & Catholicâ Religione poterat (*nimirum ut omne Belgium externâ militiâ liberetur; ut ejus loco deligatur alius exercitus, Belgarum populo magis gratus, et bello sustinendo par; ut ad civitatum, arciumque præfecturas, aliâque honoratiora munia, in posterum non admittantur, nisi soli Belgæ; ut acatholici, qui in provinciis extra Hollandiam et Zelandiam habitant, impunitè ibidem sine exercitio suæ Religionis degant; ut ad suprema provinciarum gubernacula à Rege non admoveatur alius, quàm Regii sanguinis Princeps, et ejusmodi, de quo justam conquerendi causam non habeant*) Hæc, inquam, & alia Belgis faventissima licet amore pacis concederet Philippus Rex; nihilo minùs tamen Orangius, cui pax & concordia neutiquam in votis erat, semper aliis atque aliis exceptionibus & effugiis rem istam ità involvere studuit, ut casto tandem eventu congressus ille, die decimâ tertiâ Novembris, cum ingenti partium indignatione dissolutus fuerit. Singulari tamen consilio providere Superi, ut obliquè, vel, ut ajunt, *indirectè*, ex eodem conventu non parva rerum conversio in Philippi Regis utilitatem profilièrit. Nam inter ista pacificationis tentamenta, Hannonienses, Artesienses, & Flandro-Galli, cum viderent, Orangium nihil aliud, quàm Catholicæ Religionis interitum velle, ideòq; & æquissimis concordie articulis præfracto animo dorsum obvertere; non expectato ceterorum Ordinum consensu, pacificationis oblatae leges unanimiter complexi, & in Regis Philippi gratiam promptissimè recepti sunt. Idem fecere postea quinque ex Legatis Ordinum, de Colonienfi congressu reduces; maximèque Philippus Dux Arschottensis, & alii complures Belgarum Proceres, eorundem exemplo tracti. Qui & omnes juramento edito sponponderunt, se in posterum Regi suo constantissimè parituros, & Fidem Romano-Catholicam usque ad vitæ ac sanguinis profusionem defensuros esse.

Utinam laudatissimo hoc Religionis, Fideique zelo arsisset etiam, qui suprà in congressu pacificationis nominatus est, Gebhardus Ecclesiæ Colonienfis Archiepiscopus, & sacerdos consecratus. Memorat quidem Klocknerus auctor coævus, eum Colonie in congressu prædicto coram pluribus asseverasse, *quòd in furtivam agi malit, quàm à Fide Catholica recedere; aut libertati Religionis, quæ à multis in Belgio petebatur, consentire*. Sed, an id serio ac synceriter; an verò fictè & solùm fuci faciendi causâ ab eo dictum fuerit, quis divinet? certè jam eo tempore propudiosis mulierum amoribus implexus erat, multisque\* noctibus furtivè in cubili suo versabatur cum Agnete Mansfeldica, domicellaris Collegii Gerrisheimen-

Philippus Hispaniæ Rex faventissimos concordie articulos Ordinibus fœderatis offert.

*Spond. ib. Haraus ad hunc annu. pag. 296.*

Qui cum ab Orangio & suis obstinate rejectentur, conventus ille tandem eventu casto dissolvitur.

*Spond. & alii.*

Hannonia, Artesia, & Flandro-Gallia, ad sui Regis obsequium redeunt; spondentq; se in Fide Catholica usque ad mortem persistere velle.

*Haraus in ann. brab. Strada dec. 2. l. 1. & 3.*

Gebhardus Archiepiscopus Colon. eo tempore jam ardebat propudiosis amoribus Agnetis Mansfeldicæ.

\**Isselt. l. 1. de bello Colon.*



Similiter & heimensis Canonissa, quam deperibat. Nechilo pilove melior fuit hac in re Henricus Archiepiscopus Bremensis, Paderbornensis & Osnabrugensis Ecclesie Administrator. Nam & ipse e civitate Colonienfi, ubi jam ante inter Canonicos majores vixerat, concubinam habebat Annam Bestorpiam Colonienfis Doctoris filiam: quam egregie comptam, & meretricio ornatu splendidam, allidue ducebat secum, non sine pessimo Clericorum & sacerdotum in antiqua Fide nutantium exemplo. Unde & eo regente Paderborna ferè tota, quam hucusque priores Episcopi in Catholica Religionis gremio retinuerant, una cum omnibus animarum curatoribus in Evangelii Lutherani complexum proruit; viditque verum esse id, quod ex concilio Tridentino ait Cratepolius: *Integritas presidentium salus est subditorum; totiusque Dominice familiae status et ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

Eodem aò in Diocesi Paderbornensi detegitur perditissima quaedam latronum societas, *Klockner. in hist. Paderborn. ms. part. 2.* Ceterum hic annus Paderbornensi Diocesi nostrae non parum felix & auspiciatus fuit ob detectam ac dissipatam scelestissimorum aliquot latronum societatem. Auctor illius erat Bernardus quidam, vilissimo loco natus in pago *Haren*, ad campum Sintfeldicum sito. Is, cum ferè sex vel septem annorum esset, quotidie cum aliis id genus mendicabilis jacebat ad portam vicini monasterii Bodecensis. Et quia formosulus, rectique corporis adolescens erat; ejusdem monasterii Frater Laicus (cui rei agrariae cura commissa erat) misericordiam Christianam motus, assumpsit eum, effecitque, ut ex illo mendiculorum grege melioris educationis causa ad monasterii culinam admitteretur. Ibi, dum horis otiosis ad focum sedens continuò scriptitaret in cineribus, communi ceterorum lixarum joco *Scribonius* appellatus est: quod ei nomen ita semper adhæsit postmodum, ut etiam adultioribus annis haud alio quam *Scribonii* vel scriptoris nomine vocatus fuerit. Subinde in monasterio Bodecensi mansit per annos decem & amplius; eoque tempore cum predicto Fratre Laico frequenter egrediens & regrediens, didicit omnia secreta ejus: nimirum, quâ clave portam cœnobii aperiret (poterat enim suorum negotiorum causâ summo mane vel sero vespere exire vel redire) ubi cubiculum ipsius esset, quo in loco pecuniam ex re lignaria vel agraria collectam reponeret, & plura alia. Post, ubi jam circiter octodecim annorum esset, exibat semel ad parentes suos in pago *Haren*. Cumque ibidem per dies aliquot moraretur; fortè fortunam contigit, ut peregrinus mercator aliquis, præcipiti nocte à via seductus, ad paternum ejus mapale adveniret, pretioque oblato peteret, se deduci ad commune diverforium. Respondit illico scelerata mater: *diverforium adhuc procùl distare, et viam adeò canosam esse, ut agerri-*

Anno ætatis  
propè deci-  
mo octavo  
ad parentes  
revertitur,  
Et cum eis  
nocte in-  
tempestâ  
mercatorẽ  
peregrẽ ve-  
nientem  
obtruncat.  
*Klockner.*  
*ibid.*

me



mè illuc inter ejusmodi tenebras pervenire queat: quod si autem in hoc ma-  
pali commanere secum non dedignetur, se eidem pro suis viribus infer-  
vituram. Acceptabat id homo de via fessus ac famelicus; aper-  
tòque statim sacco, pecuniam ei dedit, quâ cerevisiam & alia  
ad frugalem cœnam necessaria compararet. Sed eâdem nocte,  
postquam jucundè cœnatum, bibitumque fuerat, infelix advena  
securi percussus & crudelissimè interfectus est, sceleratâ matre ma-  
ritum, filiùmque suum ad ejusmodi facinus instigante.

Præda satis opima, quam ex latrocinio consecuti sunt, eum  
in modum placuit *Scribonio*, ut in posterum omni vitâ suâ hanc ar-  
tem facitare, constituerit. Eoque in proposito mater venefica non  
modò confirmavit ipsum; sed etiam, ut securius latrocinari pos-  
set, ei calamum aliquem, veneficiis imbutum, tradidit, cum ea  
sponsione diabolica; quòd hoc amuleto, manu sinistra tento, hu-  
manorum oculorum aciem effugiturus, omniâque vincula sibi in-  
jecta facillimè soluturus vel excussurus sit. Lætus hoc dono *scri-  
bonius* confestim sibi socios complures adlegit: qui, ut firmius  
invicem se astringerent, sanguinem suum ex inciso digito pro-  
manantem sibi mutuò propinârunt, intermixto simul hoc averna-  
li juramento: *quòd nunc et in æternum sanctissimæ Trinitatis, JESU,  
MARIÆ, sanctorum omnium, et quorumlibet Christianorum, insensis  
sini hostes vivere, et mori velint.* Quo peracto mox decrevêre, pri-  
mum suæ improbitatis experimentum capere in illo Fratre Laico,  
qui in Bòdecensi monasterio *Scribonium* educaverat. Itaque sub  
vesperum collocabant se in ejusmodi loco; ubi eundem, è silvis,  
agrisque reducem, certò transiturum noverant. Ibi miserum pro-  
tinus invadunt, verberant, humi fundunt, veste religiosâ exuunt,  
simul claves & omnia, quæ habebat, eidem auferentes. Cùmque  
infelix Frater *Scribonium* suum tristissimo vultu intuitus, diceret:  
*Hæcine merui abs te, fili mi?* ille nihil indè mitigatus, adhuc fero-  
ciùs in infontem irruit, linguam ipsi evellit, genitalia membra ex-  
scindit, frustra que obluentem in abstrusissimo saltu crassis funi-  
bus ad arborem prægrandem alligat; ubi nudo, mutiloque corpo-  
re per totum ferè quatrimum stare debuit, & vitam vel ipsâ mor-  
te duriolem agere. Tum verò trifurciter iste religiosam ejus ve-  
stem induere; ceterisque sociis in vicina silva præstolari jussis, ad  
Bòdecense monasterium pergere, portam exteriorè clave acceptâ  
referare, cubiculum Fratris introire, arcas omnes evacuare, pecu-  
nias ab eo custoditas auferre, spoliòque non parvo dives, eâdem  
noctè ad suos regredi. Illi tam optato successu hilares, triduo pro-  
ximo jucundè litârunt Baccho: interimque miserrimus ille Frater,  
cujus vestem inter abdita dumorum texerant, circa fatalem arbo-

Spolio ac-  
cepto lætus  
eam latro-  
cinandi ar-  
tem ulterius  
facitare  
statuit,  
*Klockner.*  
*ibid.*

Socios  
complures  
in scelerum  
societatem  
adsciscit;  
*Klockner.*  
*ibid.*

Ejuratòque  
Deo & San-  
ctis omnib⁹  
*Klockner.*  
*ibid.*  
primum la-  
trocinandi  
experimen-  
tum cum iis  
capit in Fra-  
tre Laico  
Bòdecensis  
monasterii:  
*Klockner.*  
*ibid.*

quarto die  
post eum  
interficiunt

M m m

rem



corpore ej<sup>9</sup> rem suam difficillimâ vitæ, mortisque luctâ eum in modum sese circumegerat, ut eidem injecti funes continuâ ligati corporis gyratione profundum huic arbori sulcum induxerint; quemadmodum suis oculis vidit, qui hæc descripsit Martinus Klöckner. Quarto autem die, cum ad arborem redirent, Fratremque morti proximum, & ante oculos suos expirantem offendissent; cadaver ejus inter vicinas lignorum cæduorum strues abdidere: ubi tandem adultâ hieme post avecta culinaria, focariâque ligna inventum est, non sine magno Religiosorum Bôdecensium gaudio; quippe qui jam pridem suspicati fuerant, eum unâ cum pecuniis sibi creditis à Fide & Ordine suo profugisse.

Post hæc in omnem latrocinandi licentiam effusi, toto ferè biennio cædes innumeras perpetrant, etiam quandoque solius voluptatis causâ.

Post hæc in omnem latrocinandi licentiam effusi, toto ferè biennio cædes innumeras perpetrant, etiam quandoque solius voluptatis causâ. Per totam undique Diocesim, præcipuè verò in silvis prope Dalhemium, Kleinenbergam, Hardehusium, Stattbergam, aliisque in locis proximioribus, tam innumeras hominum itinerantium cædes per biennium perpetrârunt, ut nullum ferè calamum iisdem recensendis vel describendis parem invenire liceat. Neque solum id agebant lucri vel quæstus faciendi gratiâ; sed etiam quandoque solius diabolicæ voluptatis explendæ causâ: itâ ut subinde non minus in mendicos obvios, quàm in homines pecuniosos defævirent. Sanè pauperculum adolescentem ex pago Rôsenbeck, dum ex oppido Stattbergenfi domum rediturus, levandæ fitis causâ in vicinum fonticulum prono ventre procumberet; *Scribonius* à tergo involans, tam diu in aquis tenuit, usque dum in iis violentâ morte præfocatus esset. Ac tamen puer iste, vermiculi morientis instar, miserabili corporis inflexione fatorum necessitati sic oblucretur, ut & ipsi lapides commiseratione tangi aut frangi posse viderentur: *Scribonius* tamen huic spectaculo non solum hilariter adrisit; verum etiam eâ de re paulò antè extremum supplicium interrogatus, asseruit: *hanc adolescentis morituri luctam sibi admodum delectabilem, visûque jucundam fuisse.* Pari truculentâ tres mulieres prægnantes, ac nullo ferme peculio præditas, unâ cum suis commilitonibus interemit; earundem uterum dissecuit; fetum inibi latentem protraxit; ea solum ex causa, ut videret, an prolem masculinam gererent, quâ ad suas præstigias, artesve magicas abuti posset. Cumque in illis tribus non nisi prolem femellam reperisset; cum ingenti stomacho comminatus est, non prius destitutum se ab occidendis hujusmodi mulieribus, donec è dissectis earum uteris fetu masculino potiretur. Quod autem in his malis tristissimum erat, scelesti nebulones isti incredibili celeritate commigrabant ex uno loco in alium: itâ ut, si hac horâ prope Dalhemium visi essent; non multò post apud Kleinenbergam, Hardehusium, Statt-



Stattbergam, aut Breidelariam conspecti fuerint. Unde etiam communis hominum persuasio erat, eos arte diabolica ex uno loco in alium transportari.

At non ita in his permittendis dormiebat cæli oculus, quin demum evigilaret in interitum *Scribonii* & sociorum ejus. Prima omnium poenas dedit, promiscuæ libidinis mulier, cognomento **Schnakenkopff**; quæ iisdem cibaria in silvis afferebat, eaque occasione sæpe illis multorum itinerantium vitam prodiderat. Hæc tandem ab excubitoribus ubique positis comprehensa, severis quæstionibus pressa, condemnata, capite plexa, & prope *Kleinenbergam* rotæ imposita est. Nec multò post etiam *Scribonius*, Haræ in pago suo natalitio captus, *Wewelsburgum* ducitur, arctissimis ibidem vinculis præalta in turre constrictus. Ac tamen rursus ex iisdem, non sine dæmonis auxilio, post unam alteramve noctem eluctatus fuerit; in ea tamen fuga & præcipiti lapsu (quem in petram subjectam fecit) præstigiosum calamum, sibi nuper à matre traditum, non sine magna animi consternatione perdidit. Unde & ipse postmodum conquestus est, vereri se, ne amisso hoc amuleto, vitæ suæ & latrociniorum præteritorum finis appropinquet. Id quod etiam non longè abhinc evenit, eâ occasione & rerum serie, quam hîc adjungo.

Deamabat mulierem aliquam in vicinia *Marienlohæ* & *Benhufii* natam, ex qua violenter oppressa filiolum consecutus erat. Huic ille sæpius intentaverat, ut vel ubilibet locorum ad ejus obsequium curreret; vel certè, nisi id ita vellet, extrema omnia, necemque indubitata à se, suisque sociis exspectaret. Percussa his minis femina (cùm videret, se vel occidendam à *Scribonio*; vel, si ille tandem caperetur, percutiendam esse manu carnificis) accurrit clangulum ad *Aulæ nostræ Ministros*; promisitque, si vitæ gratiam sibi fecerint, curaturam se, ut *Scribonius* nullo ferè negotio in manus ipsorum veniat. Libentissimè id acceptabant *Ministri Principis*. Et, quia mulier ista liberali simul præmio se donandam intellexerat, si telam hanc fortunatè posset pertexere; continuò *Scribonium* suum rogat, ut in pervigilio *S. Andreæ Apostoli*, non procul *Paderbornâ*, veniat ad eam officinam laterariam\*, quæ ab urbe semotior est, ibi se futuram cum parvula prole sua, & paraturam omnia ad jucundè convivandum necessaria. Quod cùm ipse protinus amore prolis addixisset; rursus illa ad eosdem *Aulæ Ministros* regredi, *Scribonii* responsum aperire, diem adventûs ejus prodere, simulque eis hoc signum faciendæ invasionis dare, ut executores tunc in ædes condictas irruant, quando ipsa lotos pueruli sui panniculos in ostio domûs explicaret.

Mulier, latro-  
trum  
istorum so-  
cia, capitur,  
& extremo  
supplicio  
punitur  
prope Klei-  
nenbergâ.  
*Klockner.*  
*loc. cit.*  
*Scribonius*  
etiam com-  
prehensus,  
ope dæ-  
monis è  
carcere ela-  
bitur; amif-  
so tamen  
amuleto.  
quod acce-  
perat à ma-  
tre venefica  
*Klockner.*  
*loc. cit.*

Rursus ta-  
men ab alia  
amafia sua  
post prom-  
issam vi-  
tæ gratiam,  
judicibus  
proditur:  
*Klockner.*  
*ibid.*

\*vulgò am-  
ferren  
Ziegel-  
haus auf  
der *Clues*



Et astu va-  
ferrimo in  
manus infi-  
diatorum  
traditur.  
Klockner.  
p:3 hist. Pa-  
derb. mfs.

Subinde rerum hujusmodi administer Joannes Rambock, die constitutâ, priusquam dilucesceret, ibidem adest cum expedito armatorum virorum agmine, quos obtegendi consilii sui causâ quaaversum in latibulis propinquis occulit. Nec multò post etiam *Scribonius* advenit, ædes intrat, amasiam suam salutatur, puerulum sibi genitum peramanter excipit, amplectitur, deosculatur, bombardâ & bipenne suâ tantisper ad parietem vicinum positâ. Interea domûs illius hospita, rerum agendarum probè conscia, scopas arripit, culinam everrit, aream emundat; & quò longiùs expurgando progreditur, eò magis ac magis inobservato motu bipennem & bombardam ejus de loco priore demovet. Similiter & *Scribonii* amasia, linteorum infantilium lotionem peractâ, accedit propiùs ad ostium domûs; panniculisque supra illud explicatis, Rambockio & fociis ejus è condicito signum dat aggressioni inchoandæ. Quo viso ille derepente cum suis advolat; vigilisque circa domum totam dispositis, ipse cum quaternis vel quinibus per posticum intrans, ait: *Ave hospita! quos et quales hic habetis advenas?* Consternatus inde *Scribonius*, puerum, quem tenebat, furibundo similis in terram projicit; frustra que circumspiciens bombardam ac bipennem suam (utraque enim protinus ab astuta hospita per fenestram ejecta est) pleno impetu in anteriorem januam & panniculos ibidem explicatos insilit, ut ex ea parte fugiendi viam inveniret. Sed & hîc à constitutis excubitoribus prægrandi clavâ percussus, ac retrorsum in ædes recidens, tandem ab accurrente multitudine comprehenditur, ligatur, stringitur, funeq; toti etiam inferiori corpori circumjecto, & posterius per braccam exeunte vincitur, Neuhusanam in arcem deportatur. Ibi mox in quæstionem severam tractus, fidiculis in equuleo distentus, & horrendam scelerum suorum Iliadem confessus, experientiâ ferali didicit, verum esse Horatianum illud:

*Rarò antecedentem scelestum  
deservit pede pœna claudo.*

Dalhemiũ  
deinde ave-  
hitur,  
Klockner.  
ibid.

Supplicii locus, intrâ octiduum circiter, ei constitutus est prope monasterium Dalhemense; ubi plura, quàm in locis aliis latrocinia exercuerat. Illuc ut auctus erat, assiduè circa illum steterunt sacerdotes varii, qui ad Christianam poenitentiam, piàmque mortem hortarentur: nec tamen ullus ipsorum tam felix aut potens, qui incarnatum hunc diabolum (sic enim potiùs, quàm hominem appellari, convenit) vel eò saltem perducere ac permovere potuerit, ut Sanctissimum JESU nomen invocare; ne dicam alias orationes fundere, aut conscientiam suam per salutare actus à peccatis expiare vellet, Unicum ipsius ad omnia pia monita responsum



sum erat: Deo et ejus amicitia se aeternum renuntiâsse; sacrum *JESU* et *MARIÆ* nomen sibi pridem in odio fuisse; juramento se obligatum ad perpetuam hostilitatem erga Deum et sacra omnia; nec ullatenus commissurum, ut ejusdem promissi violatione dæmoni perjurus fiat. Unde & ab omni scelerum suorum dolore ac detestatione tam procùl aberat, ut etiam de iisdem perpetratis maximopere lætaretur, & indubitanter diceret: *Vos quidem arbitramini, me jam neci dandum esse; at ille, cui ego me in aeternum devovi, non omittet, me de manibus tortorum eripere, et à suppliciis omnibus expedire.* Ergo, postquam totâ nocte superiore frustra laboratum erat in lavando hoc æthiope, sequenti mane rursus in finale judicium adductus est. Ubi, cum abominanda ejus flagitia publicè recitata, & ab eo intrepidè affirmata essent; postrema capitis sententia hoc modo in eum pronuntiata est: *Scribonius ob infanda scelera sua in assere vel tabula quadam fortissimè constringitor: forcipibus ignitis, ubicunque ejus caro prehendi et interpretari potest, vivo corpore lacerator: postea venter ejus liclorio cultro inciditor, impiissimum cor in ejus faciem incutitor, corpus totum in quatuor partes dissector, singulâque illa segmenta versùs quatuor mundi plagas in exemplum ac terrorem omnium appenduntor.* Quis non putâset, feram hanc audito hujusmodi supplicio non nihil terrefactum iri? At ille vultu nihil immutato, non modò non expavit; sed etiam totâ viâ, quâ ad locum supplicii vehebatur (præsertim quando virgines & mulieres innuptæ aderant) impudentissimis, turpissimisque verbis, devotam orco animam oblectavit. Imò cum ad aream poenalem advenisset, ibidémque in ferali tabula jam extendi coeptus, intueretur ignes illos, qui ad accendendas forcipes præparati erant; confictis ambabus manibus joculari verbo adhuc dicere ausus est: *Adducite mihi hos ignes, ut manus meas non nihil calefaciam!* cui tamen perbellè vicissim carnifex: *Habe, obsecro, adhuc parùm patientia; et ego te abunde calefactum dabo.* His auditis, aliquantulum ei cadebat animus: præsertim cum videret, adhuc nullum sibi auxilium ab orco vel dæmone, ut speraverat, affulgere. Ajunt quidem, eo tempore prægrandem, nigerrimùmque corvum inter vicinas arbores confedissee, & à Scribonio semper in cruciatu suo fixis oculis observatum esse. At funesta avis illa, si sub ea dæmon aliquis delituerit, certè hujus adstrictissimi amici sui liberatorem se minimè exhibuit: atque ideò, cum ad ignitas forcipes iteratò ac sæpius processum foret; homo desperatissimus, & furie infernali similis, tam horrendum immugit, ut ipse carnifex, animi defectionem ex nimio terrore passus, alteri succedaneo ulteriorem executionem committere debuerit. Et hic deinde reliqua omnia, pro ut per sententiam suprâ dictam imperata erant, tam

In Dei inimicitia se moriturum profiteretur. *Klockner. ibid.*

Ac demum morte severissimâ plectitur. *Klockner. ibid.*

Frustra ab amico dæmone se liberandum sperans. *Klockner. ibid.*



tam diu fortiter ac imperterritè fuit executus, donec perditissimus ille trifurcifer sceleratam animam ad æternos ignes exhalaverit. Acta sunt hæc mense Decembri præsentis anni, ferè tredecim diebus ante Natalem Domini.

Paulò post etiam capitur primarius ejusdè socius, parrique supplicio afficitur: sed sine ullo pœnitentiæ signo.

*Klockner. in hist. Paderb. ms. part. 3.*  
Aliis alibi condemnatis, postmodò etiam Scribonii mater venefica Cassellis plectitur.  
*Klockner. ibid.*

Maçtatâ hac diaboli sue, paulò post etiam primarius ejusdè socius (cui nomen *Grumbenstien*) homo pariter adhuc juvenis & imberbis, Wewelsburgi interceptus; & ibidem *prope latam quercum*, eodem, quo *Scribonius*, cruciatuum ac suppliciorum ordine ad inferos demissus est. Nec ille pariter ad cœlestia se convertere, aut ullum salutaris pœnitentiæ signum emittere, visus est; sed velut homo desertus à Deo, quidquid piarum admonitionum à sacerdotibus adhiberetur, obstinatâ mente cum risu & sibilo semper explofit: non secus, ac si decrevisset ad infernum ire; & eidem confociari in pœnis, cui confociatus fuerat in flagitiis. Simili modo alii duo Dringenbergæ, alii verò aliis in locis propediem apprehensi, & ad condigna supplicia raptati sunt: itâ, ut ex putidissima illa scelerum colluvie intrâ breve tempus ferè nemo ampliùs in vivis degeret; quàm, quæ malorum istorum auctor & origo erat, *Scribonii* occisi mater venefica. Sed & hæc, licèt ocyùs in Hassiam vicinam profuga, ibique virum sub assumpto militari habitu mentita fuerit; brevi tamen detectis hujusmodi fallaciis agnita, & Cassellis ad severum tribunal evocata (nescio quo mortis & cruciatuum extremorum genere) sceleratam vitam nece infami clausit.

## Annus Christi 1580.

GREGORII XIII. Pontificis 8. & 9.  
RUDOLPHI II. Imperator. 4. & 5.  
HENRICI Admin. Paderb. 3. & 4.

Mense Februario Paderbornæ moritur Sacerdos apostata, Georgius Holthusius, concionator summæ ædis & Pastor ad S. Pancratium.  
*Klockner. in hist. Paderb. ms. part. 3.*



Utherana fides Paderbornæ sub auspicio Lutherani Principis jam itâ invaluerat, ut passim erecto collo, magnisque gressibus per totam urbem ac Dioccesin iret: cum ex improvîso nova syncerioris doctrinæ lux ibidem oritur ex introductâ in hanc urbem Societate JESU. Decedebat in Februario Georgius Holthusius, Cathedralis Ecclesiæ concionator, simulque Pastor ad S. Pancratium: qui, tametsi biennio abhinc rejectâ Fide Catholicâ ad Lutheri placita deflexisset, ut uxorem, quam deperibat, cum sacerdotali gradu conjungeret; à majori tamen Capitulo, offensæ Principis evitandæ causâ, tolerari in officio debuit, quàm diu vixit. Ne autem in posterum similis vipera in cathedram veritatis irreperet;



ret; Canonici Cathedrales, pro majori securitate sua, parochialem Ecclesiæ Pancratianæ curam à supremi concionatoris officio iterum sejungere, uti jam aliàs ante Holthufium fieri consueverat. Et Pastoratui quidem Pancratiano admotus est Hermannus Tünneken, vir idoneus, ut initio videbatur; sed qui postea majoris Capituli & proborum omnium expectationem turpiter sefellit. Etiam si enim priùs, quàm ad hanc parochiam admitteretur, in domo Capitulari coram Reverendissimo Domino Theodoro de Fürstenberg, tunc adhuc majori Præposito, non solum examinatus; verum etiam in præsentia Notariorum ac testium, antiquam veramque Fidem Catholicam adjuncto corporali juramento professus fuerit: nihilo minùs haud multò post, conculcatâ ejusdem jurisjurandi fide, Lutheranum præconem induit, veteremque Religionem Catholicam acerrimè infectatus est. Contrà verò (quod urbi ac Diocesi nostræ felicissimum fuit) ad cathedram summæ ædis à majori Capitulo evocatus est sacerdos aliquis è Societate JESU. Quem ut certius impetrarent; continuò Decanus & Capitulum, die decimâ nonâ Februarii, ad Fuldenfis & Heiligenstadiensis collegiorum Rectores expedièrunt sequentes literas, zelo Fidei & sancto fervore plenas:

**P**Ræviâ officiorum delatione, Reverende et admodum erudite Domine. *Cùm nobis incumbat, veram nostram et veterem Catholicam Religionem omni conatu pro posse nostro vindicare, propugnare, et conservare; in quem finem, hisce dubiis temporibus, opus esset nobis in doctrina Theologica viro bene versato, qui concionandi munere in summa nostra eade præclarè fungeretur, et per hebdomadem aliquot horas lectionibus Theologicis impenderet: Referatur verò à viris fide dignis, huic obeundo officio admodum idoneos, facundos, multâ eruditione pollentes, in isto Collegio reperiri. Quare humanissimè ad Reverentiam vestram petendo recurrimus, ut ad tuendam et propagandam veram Catholicam Religionem omni meliore modo nobis velit esse adjumento; et personam requisitâ eruditione politam, cui de honesta et Ordini vestro conveniente sustentatione providendum, sub festa Paschalia mittere, non dedignetur. In eam spem venimus, id nos impetraturos: cùm sit Deo gratum, nobis ad communem animarum utilitatem necessarium, et à bonis omnino desideratum. Cui beneficio nobis præstando ut respondeamus; omnem curam et cogitationem collocabimus. Expectamus certum et gratum responsum. Data Paderbornæ, Anno 1580, die 19. Februarii. Decanus et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis.*

Laudabili huic desiderio hujatis Capituli, quod eo tempore penè solum & unice velut murum aheneum se opposuit pro domo Dei, perlubenter obsecundatum est à Præsidente Provinciali Socie-

Ad Ecclesiã Pancratianam seu forensensem promovetur Hermannus Tünneken, sacerdos: post etiam apostata. *Klockner. loc. cit.*

Jesuitæ vocantur Fuldâ & Heiligenstadio Paderbornam. *Hist. Collegii S. J.*

Mittitur Heiligenstadio P. Christianus



Halverius Societatis; missusque primùm è collegio Heiligenstadiensi Pater Christianus Halverius, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & vir amabilis omnibus. Qui die 26 Martii, pridie Palmarum, unà cum fratre laico Paderbornam veniens, in Abdinghoffensi monasterio apud Patres Benedictinos, nostrorum quoque laborum avidos, familiari hospitio exceptus fuit. Huic deinde, post prægustatos exhortationum sacrarum fructus, rogante eodem Capitulo in incepti laboris partem adjunctus est Pater Stephanus Lohn, non minori virtute, quàm doctrinâ præditus: qui &, remisso ad Heiligenstadienses fratre laico, die vicesimâ sextâ Julii Padibornam attigit. Sed amica hæc amborum confociatio brevi iterum dissipata est celeriore unius morte. Halverius enim, cùm in Septembri negotiorum provincialium causâ Moguntiam accitus esset, indè redux, in collegio Fuldensi ex illapsa corporis ægritudine cum ingenti nostrorum dolore obiit; suamque stationem Padibornæ cœptam, reliquit successorì suo P. Leonardo Rubeno, viro insigniter docto, pio, ac devoto. Interea Pater Stephanus operam suam tam in concionibus, quàm in catechismis, ita probaverat Illustrissimo Capitulo, ut ab eo non solùm de retinendo Patrum binario; verùm etiam de eodem augendo & amplificando sollicitissimè cogitatum, actumque fuerit. Quem in finem, die 24 Octobris, primùm duobus Patribus antè dictis assignata est antiqua domus concionatoris, in colle Idonis\* infra majorem Ecclesiam sita; deinde etiam, pridie Kalendas Novembris, vicinum S. Bartholomæi sacellum pro celebrando sacrificio quotidiano, aliisque sacris functionibus, instituto & vocationi nostræ consentaneis. Ibi cùm incepissent habitationem, sedemque suam figere; initio quidem rarissimus poenitentium & communicantium accursus fuit: ita, ut etiam in festis natalitiis Christi Domini non ampliùs, quàm duodecim homines, ad accipienda poenitentiae & Eucharistiæ Sacramenta accedere, visi sint. Sed hoc facillè concedendum erat malignitati istorum temporum: cùm & universa penè civitas Lutheranis erroribus infecta esset; & apud Catholicos, qui pauci tantùm supererant, frequentia sacramentorum jam ita exolevisset, ut non modò in defuetudinem, sed ferme etiam in contemptum venerit. His tamen Patres minimè absterriti, Apostolicæ vocationi suæ in sacris exedris ferventer institère; nihil interim ambigentes, quin progressu temporis & Catholicorum numerus incrementum aliquod accepturus, & sacramentorum frequentior usus è concilii Tridentini norma Deo auspice restituendus sit. Neque hæ duorum sacerdotum curæ solis Padibornæ mœnibus includi se, ferebant; sed etiam in Dioecesin totam, ubi major animarum utilitas vel necessitas postulabat.

Halverius  
S.J.  
Hist. Colle-  
gii Paderb.

Huic deinde  
adjungitur  
P. Stephanus  
Lohn; paulo  
post  
Halverio  
mortuo  
succedit P.  
Leonardus  
Rubenus,  
Hist. Colle-  
gii.

\*vulgò am-  
Itenbet  
ge.  
duobus Pa-  
tribus affi-  
gnatur sa-  
cellum S.  
Bartholo-  
mæi cum a-  
liqua domo  
vicina.  
Hist. Colle-  
gii Paderb.



stulabat, quaquaversum diffusæ, cunctosque homines pari charitatis affectu pro suis viribus complexæ sunt. Certè Novembri mense unus eorum à Paderæ fontibus excurrere debuit ad monasterium Gerdense virginum, indeque paulò longiùs ad monasterium Patrum Benedictinorum ejusdem Ordinis in Marienmünster. Et quia templum utriusque loci satis amplam parochiam sibi adjunctam habet: præter exhortationes varias, privatim ad Religiosum conventum habitas, etiam persæpe ad frequentem populi multitudinem cum ingenti animarum fructu peroratum est; provisiùmque, ne qua hæresum vicinarum lues in utramque parochiam se infunderet.

Disimulavit ista Henricus, Paderbornensis Ecclesiæ Administrator, & Pseudo-Episcopus. Multa enim reservabat in tempora secutura; & hoc anno potissimùm satagebat, ut in Monasteriensem Episcopatum, à quo ante biennium per sententiam Apostolicam exclusus erat, per vim & fraudem se intruderet. Quam ob rem die 24 Aprilis cum insigni comitatu è Diocesi Osnabrugensi Monasterium venit, ejusdem urbis & plurium Canonicorum, sibi nuper faventium, animos tentaturus. Exceperunt hîc illum omnes eo honore, qui Principi externo deferri solet: simulque, ut ad portam\* Salvatoris adventavit, curulum tormentorum grandiores machinæ ad eundem salutandum explosæ sunt. Exinde complures dies, majori Canonicorum simulatione, quàm syncerâ voluntate ac studio, consumpti sunt in transigendo præteritæ electionis negotio. Henricus enim, cum probè sciret, ante biennium plura Canonicorum vota stetisse pro se; quàm pro Ernesto Bavaro, cui soli seniores potissimùm adhæsere: adhuc atrociter minabatur, se nullatenus à jure suo abstiturum, nisi & seniores Canonici pariter ab Ernesto Bavaro se retraherent. Commodùm hîsce turbis ac disceptationibus intervenit Wilhelmus Cliviæ & Montium Dux, à senioribus quibusdam secretò monitus. Is (ut primùm hæc ausa comperit) unà cum Joanne Wilhelmo filio suo, qui Monasteriensi Episcopatu jam pridem habito nondum legitime renuntiârat, contractis illico magnis equitum armatorum turmis properavit Monasterium: primâque suâ adventûs famâ Henricum, huic mitræ insidiantem, ita conterruit, ut relicta quanto-cyus urbe & Capitulo, in Diocesi Osnabrugensem festino cursu revolaverit. Subinde uterque Dux, pater & filius, tantâ urbis totius lætitiâ per Ægidianam portam introductus est, ut facilè appareret, non adesse merum Episcopalis infulæ competitorem; sed verum, legitimûmque Principem Diocesenum. Displosa statim circa urbem tormenta quælibet, cives omnes bis mille circitèr ac

Menſe No-  
vembri un-  
eorum evo-  
catur ad  
monasteri-  
Gerdense,  
ac deinde  
ad mona-  
ſterium B.  
M. V. in  
Marien-  
münſter.  
Ex eadem  
hiſtoria.

Henricus  
Eccleſiæ  
noſtræ Ad-  
miſtrator  
Monasteri-  
venit ad  
conſequen-  
dam inful-  
iſtius loci.  
chron. Mo-  
naſt. mſ.

\*vulgò die  
höchſter  
Porte.

Sed repellitur ab adveniente Wilhelmo Clivorum duce, ejuſq; filio Joanne Wilhelmo  
chron. Mo-  
naſt. mſ.



Qui & Mo-  
nafterienſe  
Epifcopatû  
retinuit uf-  
que ad obi-  
tum Henri-  
ci Saxonis.  
*chron. Mo-  
naſt. mſ.*

Philippus  
Hispaniæ  
Rex Luſita-  
niæ occupa-  
vit Henrico  
illius Rege  
defuncto.  
*Spond. ad  
hunc annû  
Haræus in  
ann. brab.*

Idem edi-  
cto publico  
proſcribit  
Orangium  
ſeductorem  
Belgii:  
*Spond. hic  
n. 9.*

*Haræus in  
ann. Brab.*  
Sed nulla  
contra eum  
auxilia præ-  
ſtat Alexan-  
dro Farnesio  
gubernatori  
Belgii:

*Auctores  
iidem.  
Chytraus l.  
25. Saxon.*

ducenti pulcherrimo ordine ab utroque platearum latere in armis refulgebant, Clerus denique univerſus ac tota Nobilitas patria tali veneratione ac reverentiâ ambos Principes excepere, ut majorem ab iis requirere nemo poſſet. Ne autem Ordines Dioceſani tam citò novas paterentur moleſtias ab Henrico Saxone; magnis precibus egerunt cum utroque Principe, ut Joannes Wilhelmus, tunc ſolùm annos octodecim natus, adminiſtrationem hujus Epifcopatûs tam diu gereret ac retineret, uſque dum ætate magis provecâ ad nuptiales thalamos tranſiret. Quod cum utrimque conſtitutum, & à Monaſterienſibus quorundam oppidorum traditione firmatum eſſet; Henricus tandem acquieſcere debuit, nec unquam poſtea ad eandem infulam pervenire potuit, utpote celeriori morte ſublatus anno 1585, uti ſuo loco referetur.

Interea, dum hæc agerentur in Weſtphalia, fortunam Belgii non modicè retroegit Philippi Hispaniarum Regis cupiditas; qui jam alterâ vice deferebat propria, ut acquireret aliena. Obiêrat hoc anno pridie Kalendas Februarii Henricus Luſitaniæ Rex, familiæ totius ultimus: de cujus hæreditaria ſucceſſione, præter Philippum Hispaniæ Regem, contendebant complures alii. Hos ut ille præverteret antè, quàm eorum vires diuturniore morâ per amicorum ſuorum factiones creſcerent; per æſtatem hujus anni cum ingentibus armatorum copiis, terreſtri ſimul & navali bello, in Luſitaniam irruit: eamque Albani Ducis felicitate ſic infregit, ut intra paucos menſes ferè tota ad ejuſdem Philippi Regis obſequium ſe incurvaret. Sed dum ibidem triumphabat contra Catholicos; viciffim ab acatholicis in Belgio multa ſibi met eripi, & in rebellium Calvinistarum poteſtatem devenire, ſivit. Neque ad avertenda hujusmodi mala ſufficere poterat edictum publicum, quo primarius ejuſdem concitator Orangius à Rege proſcriptus; ac velut perduellis, etiam conſtituto in occiſorem illius viginti quinque millium aureorum præmio, declaratus eſt. Quid enim proſint ejuſmodi paginæ, ſi non adſit robur in armis? Conabatur quidem Alexander Farnesius, quantum pro viribus ſuis poterat, inimicas Geuſtorum invaſiones frangere: nec inſtrenuè adjuvabant eum Hannonienſes, Arteſienſes, & Flandro-Galli, quos anno ſuperiore ad Regis Catholici fidem rediſſe, diximus. At longè infirmior ipſorum vis & poteſtas erat, quàm ut Orangium & foederatos debellare, vel obterere poſſent. Deerat miles ad bella neceſſarius: quia Farnesius, ex pacificatione ante annum inſta, Hispanicis, Italicisq; legiones è ſuis caſtris dimittere debuerat. Aberant pecuniæ ad novum alium exercitum conſcribendum requiſitæ: quia Philippus Rex omne ærarium hoc anno inſumebat in bellum Luſitanicum.

Neque



Neque aderat ullus alius belli nervus, unde ea, quæ deficiebant, expromi possent: quia pauca illæ provinciæ, quæ in Regis obsequio persistebant, nequaquam ita pecuniis abundabant, ut ad omnes belli impensas condignam auri, argentique copiam valerent suppeditare. Sic igitur sinè magnis ambarum partium vicariis hic annus abiit: nec ferè quid aliud ab iis gestum, quàm quòd foederati Mechliniam, Diestemium, & Campos, Regii verò Cortracum & Gròningam interceperint.

Atque ideo singulare nihil efficitur adversus illum & Geulios. Auctores iidem.

Porrò cùm Orangius in id unum collimaret, ut omne Belgium Catholico Regi subtraheret; foederatis Ordinibus hoc anno rursus proposuit: nullam spem apparere concordandi cum Hispano, idèòque huic omne Belgarum regimen abrogandum esse, deferendumque alteri cuidam Principi, qui et impugnatæ opem vicinam ferre, et belli diuturni sumptus copiosiore nummorum impendio suscinere valeat. Ad hoc autem ferè neminem sibi magis idoneum videri, quàm Franciscum Alensonium, nunc Andegavensium Ducem, et Regis Galliarum fratrem: quippe qui et regnandi cupiditate flagret, et jam aliàs à foederatis Ordinibus defensor Belgicæ libertatis compellatus fuerit. Quæ Orangii sententia cùm à plerisque ipsorum probarentur; tandem Alensonius, post multas consultationes, ad capeffendum Belgii Principatum legatione solenni accitus est: sed, uti Spondanus inquit, adeò duris, servilibusque conditionibus, ut appareat, eum valde ambitiosum fuisse, qui oblatus ejus imperii umbram tanti emerit. Acerbè res ista pupugit Matthiam Archiducem, qui triennio abhinc ab iisdem Ordinibus in Belgium accersitus; plurimisque falsis promissionibus ad capienda istarum Provinciarum gubernacula, invito Rege & Cæsare, seductus erat. Jam pridem ille non sinè maximo cordis dolore viderat, Orangium illic omnia pro suo solius arbitrio gerere: se autem è diverso non gubernatorem Belgii; sed potius inane aliquod simulacrum gubernatoris agere. Atque ideo (cùm primùm audiit, Ordinum foederatorum vota se neglecto in Alensonium verti) prædicto gubernatoris titulo suâ sponte se palàm abdicavit; mensèque Martio sequentis anni foederatis Ordinibus valefecit, relicto hoc prudenti monito: *Restituo vobis, quidquid auctoritatis et potestatis in me conferrè à vobis potuit: vos eadem sic utamini, ut hac de re non solum Regi; sed etiam Deo vestro valeatis respondere.*

Imò Orangius, eâ descriptione magis effectus, Principatum Belgii defert Francisco Alenfonio, Regis Galliarum fratri. Spond. hic n. 9. & 10. Haræus in ann. brabant.

Quo audito Matthias Archidux gubernationem, sibi nuper à foederatis oblata defert. auct. iidem



## Annus Christi 1581.

GREGORII XIII. Pontificis 9. &amp; 10.

RUDOLPHI II. Imperator. 5. &amp; 6.

HENRICI Admin. Paderb. 4. &amp; 5.

Gerardus  
Episcopus  
Leodiensis  
exunte an-  
no priore  
moritur.

*Annales  
Boici part.  
2. l. 12. n. 2  
Hareus ad  
hunc annū.*

In cuius lo-  
cum hoc aō  
postulatur  
Ernestus  
Bavarus.  
*Annal. Boi-  
ci loc. cit.  
Hareus  
loc. cit.*

Gebhardus  
Truchsesius  
Archiepisc.  
Colon. in-  
ter amores  
illicitos  
egregiè si-  
mulat ar-  
dorem Fi-  
dei Catho-  
licæ.  
*Klockner.  
in hist. Pad.  
ms. part. 3.*



**I**N fine anni superioris, die vicefimâ octavâ Decembris, vitam integerrimam sine beato clausit Gerardus à Groëbeck, ex perillustri apud Geldros familia Cardinalis, & Episcopus Leodiensis. In quo, licet omnia fuerint prælustria, laudumque maximarum plena; ante cetera tamen laudatissimum illud fuit, quòd illis turbulentis periculosisque temporibus Leodiensem Episcopatum ab omni hæresum vicinarum contagio prorsus intactum conservaverit. Obtulere se quidem protinus multi magnique candidati, qui vacantem ipsius cathedram diversis Principum aliorum patrociniis vehementer affectabant. Sed quia Gerardus Episcopus, dum adhuc in vivis ageret, Cathedralis Ecclesiæ Canonicos præmonuerat, nihil magis è re Catholica fore, quàm si Ernestum Bavarum, tunc Episcopum Hildesensem & Frisingensem, ad suscipienda pariter Leodiensis Ecclesiæ gubernacula postularent: sapienti hoc monito instigati, eundem Ernestum perhumaniter invitârunt, ut ad constitutam electionis futuræ diem Leodiensi in urbe se præsentem sisteret. Quod cum ab eo confestim fieret, unanimi omnium Canonicorum consensu pridie Kalendas Februarii postulatus; ac deinde, post adeptam Romanæ Sedis confirmationem, die decimâ quintâ Junii magnificè inauguratus est, cum ingenti urbis totius gaudio & gratulatione.

Felicem te, Colonia! si & tu quadriennio ab hinc (utî id temporis complures voluere) eundem Ernestum ad Archiepiscopale solium admisisses pro Gebhardo Truchsesio, rerum tuarum & Catholicæ Religionis everfore pessimo. Ardebat hic jam à biennio tristissimis illis amoribus, qui eundem haud multò post, non modò ad matrimonium sacerdotio suo conjungendum; sed etiam ad impetendum Romanæ Ecclesiæ jugulum, ferociter adegerunt. Et tamen inter ejusmodi turpitudines videri voluit probè Catholicus. Nam, utî Kleinsorgius & Klocknerus coævi scriptores referunt, die septimâ Aprilis anni superioris, Rüdæ in Ducatu Westphaliæ peculiari scripturâ statuit, ut in curiam, catumque senatorium nemo alius adsciscatur, quàm qui Ecclesiæ Romano-Catholicæ adhærescat. Similiter & hoc anno die primâ Decembris, ejusdem Provinciæ vel Ducatûs Consiliarios tam verbo, quàm scripto monuit;



nuit; iussitque eos omni studio in id incumbere, ut pro tuenda Catholica Religione collegium aliquod & gymnasium Societatis JESU Werlis aut alibi conderetur. Qua de re etiam sequente anno plures consultationes iubente eodem Gebhardo habitas & institutas esse, ex iisdem auctoribus liquet. Sed hæc & alia complura, vel erant meræ tantum simulationes & fallaciæ, ad interiorem vulpem obtegendam compositæ; vel certè liquidò & aperte monstrant, quàm potenter mulierum insanus amor hominem suis retibus innexum teneat, eumque agat & circumagat, quocunque velit, juxta illud Lucretii:

*Nam vitare plagas, in amorem ne jaciatur,  
Non ità difficile est; quàm captum retibus ipsis  
Exire, et validos Veneris dissolvere nodos.*

Hæc sunt præcipua, quæ de rebus in circulo Westphalico gestis ad calamum affluxere: nunc etiam brevi compendio juvat addere quædam de rebus Belgicis, utpote quæ sequentibus annis cum historiarum nostrarum scopo fuerunt admodum conjunctæ. Mense Julio insolentissimum edictum à foederatis Belgarum Ordinibus pro exauctorando Rege suo publicatum est, hoc titulo: *Edictum\* Ordinum generalium, Provinciarum unitarum; per quod ex rationibus, in eodem edicto prolixè recitatis, declaratur, Hispaniæ Regem excidisse præfecturis et dominiis dictarum Provinciarum: et prohibetur, ne quis deinceps ejus nomine aut insigniis in dictis Provinciis utatur.* -- Datum Haga Comitum, die 26 Julii anno 1581. Præcipuam hujus improbæ exauctorationis causam afferebant Philippi Regis tyrannidem, & edicta sanguinaria, contra Geusios, novarumque Religionum sectatores jam pridem edita. Sed hæc ratio (si tamen ratio & non potius rationis aberratio vocari debeat) longè magis verberabat ipsos, quàm Philippum Regem. Quis enim nescit, quàm nefanda & impia commiserint ipsimet Geusii contra Catholicos in suis oppidis & urbibus occupatis? Quot monachos in illis truculentis motibus non fecerunt Martyres? quot sacerdotes non trucidarunt? quot innocentes non occiderunt? quæ templa non profanarunt? quæ altaria non everterunt? quas Divorum imagines aut reliquias non tradiderunt igni? testis est Antwerpia, Mechlinia, Bruxellæ, Harlemium, Ambstelodamum, & aliæ urbes innumerae, in quibus contra Catholicos barbarum in modum grassati fuere! testes quoque Martyres Gorcomienses, & alii aliorum locorum sacerdotes, de quorum nece & sanguinariis cruciatibus plura diximus ad annum 1572! Hæc autem & alia hujusmodi, si volebant sibi licere Geusii; cur non vicissim, longèque magis licebat Regi, in eosdem velut avitæ Fidei desertores animadvertere, & edicta

Foederati  
Belgæ Regi  
suo Provin-  
ciarum Bel-  
gicarum  
imperium  
publico  
edicto ab-  
rogant:

\*Hæc in  
ann. brabant.  
103. p. 328.  
Spond. hic  
n. 9.

Strada &  
alii.  
Sed futilib<sup>9</sup>  
de causis;  
imò talibus  
quæ magis  
contra  
ipfos.  
Auctores  
iidem.



edicta sanguinaria in ipsos evulgare? Nonne Rex in suo regno potestatem habet, novas hæreses prohibendi, sanguinisque pœnam statuendi in omnes, qui student eas per vim ac tumultus publicos introducere? Nunquid etiam sciebat Rex, Geusios, omnésque alios Calvini asseclas manifestæ hæreseos condemnatos esse iudicio universalis Ecclesiæ, quæ sola semper infallibilem discernendarum hæresum potestatem habuit? Certè privata Geusiorum iudicia hac in re sequi vel exspectare nullatenus debuit: alioquin Rex nec Anabaptistas, nec Manichæos, nec Arianos, nec quidquid veterum hæreticorum est (si & illi se per vim ac tumultus publicos in ejus regnum infundere niterentur) supplicio capitis mulctare posset; cum & ipsi, non minùs ac Geusii, præfractè ac obstinatè negent se hæreticos esse.

Rege bel-  
lis, rebûsq;  
aliis occu-  
pato, Ale-  
xander Far-  
nesius, ne-  
cessario mi-  
lite destitu-  
tus, contra  
foederatos  
non multũ  
proficit:

*Spond. hic  
n. 7. & alii*  
lis tamen  
Bredam ac  
Tornacum  
eripit.

*Spond. ib.  
Haræus,  
Strada, &  
alii.*

Alenfonius  
cum ingenti  
apparatu  
in Belgium  
venit; nul-  
lâq; re ma-  
gni mo-  
menti gesta  
abit in An-  
gliam, ina-  
nes Elisabe-  
thæ nuptias  
prenfaturus  
*auct. iidem*

Non fuisset admodum difficile Regi, perniciosis hujusmodi turbis Belgium expedire, si vel exemplo sui patris Caroli V. nunquam ex Hispania in Belgium advenisset; vel certè misisset illic sufficientem belli nervum cum pecuniis, ad conscribendum, alendumque exercitum, necessariis. At ille ex his duobus neutrum præstitit; & hunc annum consumebat iterum in componendis rebus Lusitanicis: magis utique sollicitus, ut nova regna potestati suæ adjungeret; quàm ut vetera conservaret. Ità factum, ut Alexander Farnesius Belgii gubernator, tametsi animo ac prudentiâ militari parem vix haberet, sufficienti militum auxilio destitutus, etiam hoc anno ferè aliud nihil contra foederatos Geusiorum Ordines potuerit efficere; quàm quòd urbem Bredanam per stratagemam, Tornacensem verò post bimestre obsidium armatâ manu idemeriperit. Neque Geusii Farnesianis hujusmodi ausis multùm obniti poterant. Nam & ipsi, diuturnitate bellorum pressi, non parvâ nummorum penuriâ premebantur; ideòque magnis desideriiis anhelabant ad adventum Francisci Alenfonii Andegavensium Ducis, quem anno superiore ad capiendum Belgii Principatum solenni legatione accersiverant. Et ille quidem cum ingenti Gallorum exercitu (quem Haræus viginti quinque millia, alii verò tantùm quatuordecim vel septendecim millia complexum asserunt) mense tandem Augusto in Belgium venit; & urbem Cameracensem à diuturna Alexandri Farnesii obsidione liberavit. Sed quia potissimum exercitûs prædicti robur constabat ex meris volonibus; magnâque insuper illius pars aut assiduis velitationibus imminuta, aut ex defectu stipendiorum ante hiemem dilapsa erat: captis aliquot levioribus castris præmaturè se in Picardiam recepit; indèque non multò post in Angliam ad Reginam Elisabetham abiit, inani Britannicarum nuptiarum spe se ibidem oblectaturus.

AN-



## Annus Christi 1582.

GREGORII XIII. Pontificis 10. & 11.  
 RUDOLPHI II. Imperat. 6. & 7.  
 HENRICI Admin. Pad. 5. & 6.



Em æternâ memoriâ dignam Gregorius XIII. Romanus Pontifex hoc anno præstitit in correctione antiqui Calendarii; quod à tempore Julii Cæsaris (unde Calendarium Julianum dicebatur) totis integris decem diebus jam exerrare cœperat, non sine magna diei Paschalis, aliorumque festorum ex eo

Gregorius XIII. Papa Calendarium Julianum hoc anno corrigit, Spond. hic n. 14. & 15

pendentium confusione. Origo hujus erroris erat, quòd in Calendario Juliano constitutum esset, ut in posterum constaret annus trecentis sexaginta quinque diebus, horisque sex; quæ singulis quadrienniis ob residuas viginti quatuor horas unum diem intercalarem facerent. Hæc autem computatio, tametsi in ceteris accurata fuerit; in eo tamen adhuc paululum deviabat, quòd antè dictæ sex horæ putarentur esse omnino integræ: cum tamen aliqua brevissimi temporis particulæ (quas communi vocabulo *minuta* vocant) ad earum integritatem defint. Quod cum à veteribus observatum non esset; diuturno seculorum lapsu paulatim evenerat, ut hucusque jam decem dies, ultra quàm oportuisset, in Calendario numerati sint: ideòque & æquinoctium vernum, quod aliàs incidere debebat in diem vicesimam primam Martii, præpostero modo jam incideret pridie Kalendas Aprilis. Errorem hunc, aliorum plurium errorum fontem, jam pridem adverterant multi viri docti. Sed ejus correctioni manum admovere majori cum auctoritate nemo poterat, quàm Romanus Pontifex. Qui auditis Mathematicorum peritissimorum consiliis, primò ad restituendum æquinoctium vernale statuit, ut prædicti decem dies in Octobri hujus anni omitterentur; atque ideo post diem quartam istius mensis, quæ S. Francisco sacra est, continuò scriberetur decima quinta. Deinde verò, ne similis error in posteriora secula rursus illabi posset, perpetuo edicto sanxit, ut præsentis quidem seculo annus centesimus adhuc maneret intercalaris: postea verò singulis quatuor seculis tres primi anni seculares vel centesimi diem intercalarem omitterent; & quartus annus secularis, vel centesimus, eam rursus adhiberet, uti videri potest in ejusdem Pontificis constitutione, signatâ Tusculi VI. Kalendas Martii Anno 1582. Correctio hæc apprime necessaria, uti à Principibus Catholicis non parvum applausum retulit; ita è diverso à multis acatholici-

Non sine magna plurimum acatholici



tholicorum  
invidia &  
contradi-  
ctione.  
Spond. n. 17  
& alii.

cis non solum ore maledico, sed etiam libellis famosis gravissime appetita est. Imò & eorum aliqui in eam audendi licentiam prolapsi fuere, ut imprudenti populo voluerint persuadere, nullum certius Antichristi signum esse, quam annos & eorum tempora emendare. Alii tamen Lutherani, quibus paulò emunctior nasus erat, correctionem istam vehementer approbârunt: sapientissime opposcentes, eam, licet à Pontifice facta sit, rectitudini temporum accomodatam esse; neque hac in re spectari oportere personam corrigentis; sed veritatem & rectitudinem rei correctæ.

Daniel Ar-  
chiepiscop⁹  
& Elector  
Moguntin⁹  
moritur die  
22. Martii.  
Serar. l. 5.  
rer. Mog.

Haud multò post, quàm ista Pontificis constitutio in lucem publicam prodiiisset, mortalis vitæ lucem amisit Metropolitanus noster Daniel, ex perillustri Brendeliorum familia Archiepiscopus & Elector Moguntinus, defunctus Aschaffenburgi die vicefimâ 22â Martii. Dehujus laudatissimi Principis virtutibus & gloriosis meritis multa copiosè descripsit Nicolaus Serarius in historia Moguntina. Mihi breviter sectaturo fati est, breve laudum ejus compendium hic adscribere ex ipsius epitaphio, quod ita habet: *Daniel, Dei gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, et è Nobili familia Brendel ab Homperg, anno 1555, ætatis suæ trigesimo tertio electus, Ecclesiam annis 27 optimè, pacificèque rexit, haud paucis emolumentis auxit, justitiam coluit, Religionem promovit, carus omnibus exiitit, duos Imperatores, Maximilianum II. et Rudolphum II. coronavit, inculpate vixit, Sacramentis Catholicè perceptis, piè, placidèque quievit, ac desiderium suum, lucumque cunctis reliquit. Obiit Aschaffenburgi anno 1582 die 22. Martii.*

In ejus locū  
eligitur  
Wolfgangus,  
Camerarius de  
Dalberg.  
Serar. ibid.

Vacantem ipsius cathedram sequenti mense consecutus est Wolfgangus Camerarius de Dalberg, electus die vicefimâ Aprilis, & eodem anno à Sede Pontificia confirmatus: vir & prudentiâ singulari præditus, & integritate morum conspicuus; &, quod potissimum in Principibus Ecclesiasticis commendari debet, Catholicæ Religionis cultor ardentissimus.

Sectariorū  
Aquisgranen-  
sium turbæ, ante  
biennium  
cceptæ, &  
usque in  
hunc annū  
continuata  
\*Chytræ l.  
25. Saxon.  
Noppius in  
chron. se-  
dis Regie  
Aquisgran-

Erat eo tempore ad Rhenum inferiorem periculosissimus rerum status: quem ut ordinatiùs proponam; à civium Aquisgransenium turbis, jam ante biennium cœptis & hucusque nondum consopitis, initium scribendi faciam. Ab annis ferè quindecim, nescio quâ Magistratûs & Senatorum indulgentiâ, nidulari in hac urbe cœperant Lutherani quidam & Calvinistæ, partim ex Belgio vicino profugi, partim ex aliis Principum Lutheranorum terris adventantes. Hi, cum ibidem & numero, & mercimoniorum suorum prosperitate, valentiores fierent; anno ejusdem seculi septuagesimo quarto humillimè supplicârunt urbis Magistratui, ut saltem unum alterumve è suis asseclis in senatum admitti sinerent:

pro-



promittere se vicissim, quòd in summa tranquillitate ibidem vivere, pacem colere, superioribus constanter obedire, nec ullam in rebus fidei novationem inducere vel tentare velint. Consensit huic petitioni Magistratus, fraudulentis eorum promissis improvidè credens. At brevi didicit, quàm verum sit illud Svidæ: *omnis echinus asper est*; vel, ut ex Aristophane vertit Erasmus: *è scabro in lævem nunquam vertetur echinus*. Nam post annos paucos, nimirum anno hujus seculi \* octogesimo, quando jam civium Aquisgranensium plures diuturnâ familiaritate & colloquiis in societatem suorum traxerant, contra fidem antè datam protervè ausi sunt etiam publicum suæ Religionis exercitium intra hanc urbem petere. Cùmque id iis à Magistratu tam civili, quàm ecclesiastico negaretur; contemptâ omni prohibitione nihilo minùs perrexerunt novationem suam violenter introducere, templisq; aliquot occupatis conciones publicas instituere, & cœnam Eucharisticam, aliâque sacra novo ritu ministrare. Cæsar ea de re monitus, continuò severissimis literis mandavit civibus, ut hujusmodi res novas abolerent, & sectarios concionatores quàm primùm ex urbe pellerent. Quin etiam sequenti \* anno (cùm adhuc iteratis ejusmodi monitis ac præceptionibus dorsum obverterent) Ernesto Episcopo Leodiensi, & Wilhelmo Juliacensium Duci negotium dedit, ut per Legatos \* eò missos non solum Cæsarea mandata perfici, & veterem doctrinam retineri, facerent; verùm etiam in proxima renovatione Magistratûs nullum alium inter senatores aut consules admitti, sinerent, quàm qui juxta pristinas ejusdem civitatis leges Religionem Romano-Catholicam profiteretur. Sed frustra hæc omnia! cantata est fabula surdis! Mense Majo, dum ad nova senatorum comitia veniretur, cives iterum in duas partes distracti sunt; nec minùs Lutherani & Calvinistæ suos, quàm Catholici \* suos consules & senatores elegère: idque non alio fine, quàm ut urbis totius regimen amotis Catholicis paulatim ad se pertraherent. Quod cùm impedire vellent Principum commissariorum Legati; ideoque solos consules, à parte civium Catholicorum sibi oblatos, auctoritate Cæsareâ confirmarent: repentè cives alii, Lutheri & Calvinò dediti, gravissimos in urbe \* tumultus concitare, mandata Cæsaris pro nihilo ducere, portarum claves Catholicis extorquere, plateas obductis catenis claudere, forum insidere, armamentarium effringere, tormenta extrahere, turres & valla contra Catholicorum vim & aggressiones præmunire. Imò consulum sectariorum unus, cùm ad eam violentiam coërcendam alia atque alia Cæsaris mandata cum iteratis pœnarum aggravationibus advenirent, non solum ea pervicaciter contempnit; sed etiam impudentissimo \* ore dixisse

Ooo

dixisse

\* Chytraus  
ad an. 1580  
Klockner,  
in hist. Pa-  
derb. ad  
eund. ann.

\* aō 1581.

\* Palat. in  
Aq. Austr.  
ad an. 1581  
Chytra<sup>o</sup> ib.

\* Palat. ad  
ann. 1581.  
Chytra<sup>o</sup> ad  
annū. 1580.

\* Palat. loc.  
cit.  
Helvic. in  
theat. hist.  
univers.  
ad an. 1581  
\* Wejer de  
ortu & oc-  
casu Au-  
gust. Conf.



dixisse fertur: *etiãsi Imperator mulum clitellarium, literis, mandatisq; pragravatum, ad eos mitteret; se tamen idcirco minimè ab inceptis absti-  
turos.*

Comitia  
Augustana,  
ad compri-  
mendas  
Aquisgra-  
nensium  
turbas indi-  
cta.  
*\*Chron.  
Trem. ms.  
\*Chytræus  
ad an 1580.  
\*ab Iselt l.  
1. de bello  
Colon.*

truchsefius  
Archiep.  
Colon, ma-  
trimonium  
promittit  
amariæ suæ  
Agneti  
Mansfeldi-  
cæ.  
*Michaël ab  
Iselt loc.  
cit. pag. 15.  
Palat. in  
Aq. Austr.*

*\*Iselt ibid.  
pag. 16. &  
alia ms.*

Tum verò Cæsar, nihil ampliùs cunctandum ratus, Wilhelmo Juliacensi mandatorum suorum executionem præcipere, Aquifgranense territorium circa festum S. Michaëlis\* occupare, ejusdem subditos in suam fidem adigere, annonam urbi intercludere, vias omnes ad importandum comæatum\* præstruere; ac demum post initium sequentis anni octogesimali 2di (de quo nunc agimus) nova Principum Germanicorum comitia\* pro decernendis rebellium poenis ad urbem Augustanam conscribere. Sed heu! tristitia, & acerbis lachrymis deploranda tempora! Cùm ibidem congressus Principum aperiretur, & jam agi cœptum esset de puniendâ Aquensium rebellione; ecce tibi! iterum ex urbe ac Diocesi Colonienfi deferuntur nova mutandæ Religionis pericula. Gebhardo Truchsefio, Colonensium Archiepiscopo, dudum fuerat consuetudo pessima cum Agnete Mansfeldica, uti jam aliàs persæpe diximus. Et jam amor iste, qui diu furtivus erat, paulatim omnem lasciviendi verecundiam ita abjecerat, ut omnium ferè hominum linguis & sermonibus percrebesceret. Quapropter ejusdem Agnetis fratres velocissimè Bonnam profecti, maximâque animi commotione Gebhardum sic adorti sunt: *Quâ fronte ausus esset, sororem suam, tam illustri loco natam, suis flagitiis conspurcare? si scortari libuisse, querendam fuisse aliam plebeji generis; non verò puellam tam excellentis natalibus ortam. Huic illatum dedecus redundare in probrum totius familia: ideòque eam nunc, aut secuturis nuptiis cohonestandam esse; aut, nisi id velit, alia sibi consilia non de fore, quibus eam injuriam severe vindicent.* Perterritus indè Præful sub initium hujus anni, præsentè Petro Ernesto Mansfeldienfi Comite & aliis cognatis, matrimonii secuturi fidem Agneti dedit: promisitque, eam, quàm primùm id occasio ac tempus ferret, nuptiali thalamo sibi conjugere; etiam relicta, si aliter fieri non posset, Ecclesiæ Colonienfis dignitate. Gratissimum id erat Adolpho\* Comiti Nüenariorum, & aliis Calvinii affectis. Nam ex ea matrimonii promissione dilucidè cognoscebant, eum à Religione Catholica recessurum: cùm in hac nullatenus permittatur, matrimonium conjugere cum sacerdotio jam antè habito. Ne autem idcirco aliquod amittendi Archiepiscopatus periculum incurreret; promittebant ei, se laboraturos, ut & urbs Colonia ad expetendam Religionis libertatem conciteretur, eaque impetratâ, plenis cursibus in opiniones à Fide Catholica alienas prouat.

Habe-



Habebat jam Colonia multos acatholicos, tum ex aliis provinciis pulsos, tum ex eorum doctrina & conversatione depravatos. Hi, dum Augustensium comitorum initia propediem imminebant; à Nüenariorum & aliis instigati, Magistratum audacter adierunt, multitudinem suorum sectatorum superbè jactitant, portòque insuper libello supplice ardentè ab eo flagitant, ut sibi liberam potestatem faciat, Augustanæ confessionis fidem, in Imperio permissam, exercitio publico ibidem profitendi: *contestari se vicissim per salutem animæ suæ, quòd in summa pace cum aliis victuri sint, neque ea petitiò ad ullam seditionem aut rebellionem vergat.* Speciosa verba! sed eorum voluntati minùs consona. Nam, ut priorum senatus Colonienfis, Aquensium exemplo doctus, petitiòni huic assentiri noluit; statim illi homines pacifici, neglectâ senatus auctoritate, in propinqua Mechterensi villa Calvinianæ Religionis exercitium instituere, præsentè Comite Nüenario, ad eosdem protegendos quatuor manipulis militum circumfuso. Offensus indè Magistratus, neque talem insolentiam in ipsius urbis conspectu ferens, novo protinus edicto cavet, ne deinceps oppidanorum, civiumque suorum aliquis, nisi jure civitatis excidere velit, ad peregrinas hujusmodi conciones adeat. Cùm autem id nihilò secius ab eorum pluribus attentatum esset; tandem senatus, pacificos hominum istorum animos apertè videns, tertiâ vice perniciosum illud conventiculum repentinâ tormentorum suorum explosione disturbavit. Atque ut in posterum à contumaci illo hominum genere urbem liberaret; non multò post communi omnium suffragio pœnale hoc edictum condidit, & solenni ritu per urbem publicavit: *quicumque ex tertiâ ab anno hujus seculi sexagesimo sexto in hanc urbem commigrârunt, neque ritu Catholico vivunt aut vivere volunt, intrâ quatuor hebdomadas urbem deserunt; reliqui verò, qui contra senatus prohibitionem, vel concionibus in pago Mechterano habitis, vel aliis clanculariis conventiculis interfuere, in pœnas alias huic temeritati vel contumaciæ debitas reservantur.*

Ità demum prima illa Truchsesii machinatio eventu casso in fumum & ventos abiit. Neque multò fortunatius fuit consilium ipsius alterum, priori longè pestilentius. Agnoscebat homo verisipellis, Legatos illos, qui à se & Collegio Metropolitano ad Augustana comitia missi fuerant, maximèque Casparum Fürstenbergium Satrapam Bilsteinianum, & Franciscum Burchardt Cancellarium, esse viros in Catholica Fide constantissimos; quique in rebus ad Religionem nostram pertinentibus ne vel unicum latum unguem cessuri essent. His igitur in sua causa nihil fidendum ratus, finitis propè comitiis misit illuc duos alios Calvinianæ doctrinæ de-

Conatur evincere per suos, ut Magistrat<sup>us</sup> Colonienfis permit-  
tat omnib<sup>us</sup> libertatem Religionis.  
*Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*  
*Isfelt l. i. de bello Colon.*  
*Spond. hic n. 20.*  
Sed opponit se Magistratus, ac tandem omnes acatholicos ex urbe ejicit.  
*Isfelt l. r. de bello Colon.*  
*Spond. ib.*

Truchsesius in comitiis Augustanis evincere nititur, ut sibi permittatur matrimonium Archiepiscopatui suo conjungere: sed frustra.  
*Auctores iidem.*



ditos, qui secretò & quasi per cuniculos cum Protestantium Legatis agerent; videréntque, an in his comitiis perurgetur nequeat, ut & Principes Ecclesiastici, si relicta Fide Catholicâ ad statum conjugalem transeant, suorum Episcopatum aut Prælaturarum administrationem retineant? inclinârunt in hanc partem\* quàm plures Protestantium Legati: non enim ignorabant, id proponi à Truchsesio; & per ejus apostasiam fore, ut in posterum plerique septemviri doctrinam ab Ecclesia Romana alienam teneant. Contra verò Catholici Principes, cum Rudolpho Cæsare, propositionem hanc unanimi voto rejecerunt: utpote quæ *Religionis paci* directè contraria sit; ideóque ab ipsismet adversariis approbari vel admitti nequeat, nisi totam Religionis pacem eodem impetu everfam aut proculcatam velint. Sed, cum ea disceptatio videretur esse prolixior, quàm ut intrà breve tempus absolvi posset; quæstio illa, & plures aliæ ad Religionis tranquillitatem pertinentes, in alium conventum rejectæ sunt. Atque ità mensè Septembri ab his comitiis\* discessum fuit, etiam Aquisgranensium controversiâ in suspenso relicta.

\**Helvic. in  
sheat. hist.  
univers.*

\**Iselt l. 1.  
pag. 45.*

In Ducatu  
Westphaliae  
degens,  
externè si-  
mular se  
Catholicum  
esse:

*Kleinsorg.  
in diario  
hist. Truch-  
ses.*

\**Kleinsorg.  
loc. cit.*

\**Kleinsorg.  
ibid.*

Interea Truchsesius, qui tunc agebat in Ducatu Westphaliae, exterius callidissimè præferebat, se Catholicæ Religionis promovendæ studiosissimum esse. Præterquam enim, quòd ibidem sacrificio divino frequentissimè interfuerit; etiam die decimâ nonâ Augusti Præposito Conventûs S. Walburgis intrà urbem Sufatensem perscribi jussit, ut omnes novationes à se inceptas abrogent, & antiquæ Fidei Romano-Catholicæ perseveranter se addicant. Item die octavâ Septembris\* Petrum Michaëlis, Societatis Jesu sacerdotem ac Theologum, qui id temporis apud eum Hirtzbergæ in Westphalia fuerat, Werlas ad Gerhardum Kleinsorgium juris utriusque Licentiatum ablegavit; jussitque ibidem inter eos consultari de Collegio & Gymnasio Societatis Jesu intrà hanc urbem erigendo, uti constat ex ipsis Truchsesii literis ea de re ad Kleinsorgium datis. Postremò etiam die ultimâ Octobris (hoc est biduo prius, quàm è Westphalia Bonnam reverteretur) eorundem locorum consiliarios Arnsbergam convocavit, de Catholica Religione conservanda\* cum iisdem egit, tenuiora quædam beneficia in Geseke, Brilon, & Rüden, pro meliore unius Vicarii sustentatione uniri voluit, suffraganeum Coloniensem pro sacramento Confirmationis administrando in hæc terras mittendum esse apromisit; atque, ut alia multa præteream, pro Catholicae juventutis institutione de fundando Werlis Patrum Jesuitarum collegio sollicitissimè deliberari præcepit. Sed hæc omnia merissimæ tantum fictiones & simulationes erant fraudulentum hominis; qui per hu-



hujusmodi artificia nihil aliud intendebat, quàm sub Catholica Religionis pallio sese contra Catholicam Religionem potentiùs obarmare. Nam eodem illo tempore, quo ista nequiter simulavit, Henricum Paderbornensis Ecclesiæ nostræ Administratorem, & Archiepiscopum Bremensem, Joannem Nassovium Principis Oran-gii fratrem, aliòsque Dominos Luthero & Calvino deditos in Ducatum Westphaliæ ad se accersit, cum iisdem Septembri & Octo-bri mensibus mutandæ Religionis consilia contulit, eorum auxi-lio copiosum ubique militem pro se tuendo conscribi studuit; ac demum aliquos è Nobilitate viros, & aliquos urbium Angarica-rum consules, per Ottonem de Wolmeringhausen tacitissimè sollicitari fecit, ut sibi, suisque civibus plenam Religionis libertatem concedi peterent. Id quod tamen eo tempore apud Nobiles, con-sulésque illos nullum planè successum habuit.

Rebus in hunc modum subdolè institutis, Truchsesius die 2dâ Novembris Arensbergâ discessit; acceptisq; in itinere multis equi-tum, peditumque turmis, die quartâ Novembris Bonnam ingres-sus est, ut ibi fraudum suarum telam pertexeret. Cum eo simul intrabat copiosus miles, clanculario delectu conscribi jussus; quem ad avertenda hostium occultorum bella sibi \* necessarium esse fin-gebat. Paulò post Arensbergam ad supremum Quæstorem emit-tuntur literæ, quibus jubetur Henricum Saxonem, Ecclesiæ Pa-derbornensis Administratorem Lutheranum, velut singularem Truchsesii amicum gravioribus in rebus consulere, eique in Du-catu Westphaliæ castra & oppida omnia, cum voluerit, aperire. Leguntur deinde majores equitum, peditumque copiæ: imponi-tur præsidium monasterio Dietkirchensi pulsas virginibus: opple-tur militibus Poppelsdorpium, Godesberga, Kessenichium, & alia cum pagis vicinis oppida: auferuntur è Brülensi castro omnia va-sa aurea & argentea, militari stipendio in posterum servitura: ex-torquentur Magistratui Bonnensi claves urbis, exarmantur cives, ejiciuntur Minoritæ, violantur Ecclesiæ jura. Verbo, tota urbis & aulæ facies talis erat, ut ibi non Archiepiscopum cum Pastoralipedo & mitra; sed magnum aliquem belli Imperatorem cum suis tribunis, centurionibus, & chiliarchis residere crederes: eo tamen discrimine, quòd ejusmodi belli dux plerumque castiùs & mode-ratiùs vivat; ille autem penè semper in scortationibus & immani compotatione viveret.

Quis putaret inter istos vapores crapulæ, vel inter istas libi-dinum spurcitas, æternæ beatitudinis viam inveniri posse? Et ta-men ille (si superis placet) inter hujusmodi turpitudines æternæ ve-ritatis radio tam copiosè collustratus est, ut extemplo viderit, Reli-

Sed occultè  
ibidem stu-  
der, aposta-  
ticas machi-  
nationes  
suas stabili-  
re.

*Kleinsorg.  
in diar. cit.*

Redit Bon-  
nam cum  
ingenti com-  
mitatu mi-  
litum,

\* *Isfelt l. 1.  
belli Colon.  
pag. 50.*

Consilia  
sua confert  
cum henri-  
co Admini-  
stratore Pa-  
derborn.

*Kleinsorg.  
in diar. cit.*

Multa loca  
circa Bonnâ  
præsidii  
impositis  
firmat,  
*Isfelt l. 1.  
belli Colon.*



Et publicè  
proficitur,  
se religioni  
Catholicæ  
nuntium  
remisisse.  
tselt l. 1.  
belli Colon.  
pag. 81.

Religionem Catholicam non nisi puras, putasque tenebras appellandas esse; quemadmodum scribit ipsémet in edicto suo, die decimâ nonâ Decembris edito contra eos, quibus videbatur Dioecesis hanc ad suos filios ac nepotes hæreditario titulo transmittere velle. *Cum, inquit, benignissimus Deus se ex tenebris Papatûs in lucem et cognitionem sancti et salutiferi verbi sui asseruerit; nihil amplius postulari à se, quàm ut in vocatione et officio suo bonâ et tranquillâ conscientia vivere, et fidelibus sibi ab eodem Deo commendatis subditis publicum vera atque incorrupta doctrina exercitium, usumque sacramentorum legitimum permittere posset. Interim se nullius conscientia vim inferre vellet; sed utriusque Religionis exercitium juxta pacem Religionis institueret. Polliceri etiam, se majoris Ecclesiæ Capitulum electione suâ liberâ non spoliaturum: itâ ut, si sua Celsitudo ex hac lachrymarum valle abripiatur, electio sine ulla contradictione ad Capitulum reversura sit. Itâ cæco huic Principi tenebræ lumen erant.*

Paderbornæ Pates  
Jesuitæ salutem animarum  
promoveant  
cum ingenti fructu.  
Hist. Collegii Paderb.  
P. Provincialis conatur eos Paderbornâ  
revocare: sed ejus voluntati strenuè se opponunt Primores Capituli, acetandem impetrant, ut in statione incepta manent.  
Hist. Collegii Paderb.

Paderbornæ interim hæc novatio Truchsesiana magnopere profuit ad conservandam inibi Societatem JESU, in colligendis animarum fructibus egregiè defudantem. Cùm enim Henricus, Ecclesiæ nostræ Administrator Lutheranus, hoc anno totus in eo esset, ut in Archiepiscopali Sede Coloniensi Truchsesium sustineret; de Jesuitarum Paderbornensium ejectione cogitare ferè nihil aut parùm potuit. Aliunde tamen avocationis faciendæ periculum timebatur ab ipso Patrum eorundem Provinciali Præside. Qui, cùm videret, Paderbornæ sub heterodoxo & solùm tricenario Principe tam citò spem non esse fundandi collegii, non modò P. Leonardum indè misit in Livoniam; sed etiam haud longè post Cathedrali Capitulo denuntiari fecit, duos alios Patres aliis in locis expeti, & propediem revocandos esse. Res ea maximopere percussit Cathedralis Ecclesiæ Decanum Henricum de Meschede, atque ideò gravissimè commotus respondit: *non sperare se, Patrem Provinciale in hac voluntate persistiturum esse; alioquin sese precaturum, ut illa dies, quâ Patres hic abirent, sibi fatalis et suprema in terris fiat. Quantum erit in suis viribus, obnixurum se huic intentioni: utpote quam sine evidenti nostra Dicecesis incommodo, certissimâque plurimarum animarum jaçtura exequi non liceat. Periclitari hoc modo totam patriam, Cathedralis Capitulum in apertum fidei discrimen conjici, Clerum deinceps non ausurum publicè ad celebrandum officium divinum convenire: eò quòd Patres insolentem hæreticorum pervicaciam, tum concionibus publicis, tum allocutionibus privatis, tum etiam sua vita ac morum integritate, hæcenus coercuerint. Eadem fenserunt alii Cathedralis Ecclesiæ Primores: qui & literis efficacissimis, hac de re ad Patrem Provinciale datis, continuò id impetrârunt, ut reliqui sacerdotes ad avertenda*

Reli-



Religionis & animarum pericula, cum ingenti urbis ac Dioecesis totius commodo, Paderbornæ manserint. Epistola ipsorum, quæ etiam nunc asservatur, data est Scharmæ die 24 Octobris anno 1582; eiq; primariorum Canonicorum nomina cum sigillis propriis adjecta sunt hoc ordine: *Theodorus Fürstenberg Præpositus, Henricus de Meschede Decanus, Melchior de Plettenberg Camerarius, Wilhelmus Schilder Scholasticus.* Benedicere dignetur divina bonitas gloriosis cineribus tantorum heroum, qui de Religione, de republica, de Societate JESU Paderbornæ tam præclare meriti sunt; inclinæque in ruinam patriæ succollantes, fundamenta jecerunt, quibus Catholica Fides, in pristinum vigorem erecta, solidius postmodum firmaretur.

Quod attinet ad statum Belgii, fortuna Alenfonii (quem anno superiore illuc advenisse, nec longè post inaniam nuptiarum spe in Angliam abiisse, diximus) ferè eum in modum sese habuit, ut potiùs comœdum aliquem aut histrionem; quàm provinciarum foederatarum Ducem egisse videatur. Die nonâ Februarii ex Anglia reversus erat Flissingam in Zelandia, multis armatorum millibus, cum è Gallia præmissis, tum verò etiam ex regno Angliæ comitantibus. Indè verò post decem dies Antwerpiam à foederatis Ordinibus occupatam veniens, magnis omnium lætitiis exceptus, ac Brabantiae Dux festivo ritu proclamatus fuit. Sperabant Catholici, se à novo Duce nunc impetraturos esse, ut sibi liberum suæ Religionis exercitium in hac urbe restitueretur. Sed quia foederati Ordines potestatem ejus ita constrinxerant, ut nihil aliud posset, quàm quod ipsi vellent; sola S. Michaëlis Ecclesia Catholicis permissa est: idque eâ duntaxat lege, ut, quisquis hoc templum adire voluerit; priùs omnem Catholici Regis jurisdictionem egeret, novòque Duci Alenfonio perpetuæ fidelitatis & obsequentiæ sacramentum dicat. Quæ foedissima conditio, cum à servo Duce comprobata vel acceptata fuerit; etiam brevi tempore non uno indicio didicit, ambitiosum illud, penitùsque servile regimen infausto fidere susceptum esse. Etenim die octavâ Martii in urbe Antwerpia novi Ducis insignia, quæ Philippi Regis insignibus tumultuariè superinduxerat, procelloso ventorum turbine revulsa, & in vicinum flumen abrepta sunt. Deinde rursus die decimâ octavâ Martii, quæ ejusdem Alenfonii natalis erat, non multùm abfuit, quin ipse cum suis Gallis intrâ urbem Antwerpiam populari tumultu caderet. Cum enim eâ die peregrinus adolescens Oran-gium occidere conatus esset, expulso in ejus caput parvo sclopeto, repente commota plebs non solum adornati hujus flagitii suspicionem conjecit in Alenfonium; sed etiam tam infano furore in eundem

Alenfonius  
in Belgium  
redux, Ant-  
werpiæ  
proclama-  
tur Dux  
Brabantiae:  
sed infelici  
omine.  
*Havaeus in  
ann. Brab.  
Spond. hic  
n. 2. & alii.*

Ab Ant-  
werpiensi-  
bus in tu-  
multu civi-  
co penè op-  
primitur  
cum suis.  
*Havaeus  
loc. cit.  
Spond. n. 3.*

dem



dem infremere coepit, ut nisi Orangius, ex vulnere accepto saucius, culpam omnem ab eo protinus removisset, procul dubio inter accurrentium Geusiorum gladios inquietam animam exspuisset. Neque tamen idcirco vir infelix destitit à Principatu male parato: donec iterum sequente anno longè pejùs intrà urbem eandem habitus, probrosâ fugâ in Galliam se recipere debuit, ibidémque haud multò post celeriore fato arrogantes animos in obscuro sepulchro claudere; uti suo loco prolixius exponetur.

Et sequente anno Belgii rursus deferere cogitur.

## Annus Christi 1583.

GREGORII XIII. Pontificis 11. & 12.  
 RUDOLPHI II. Imperat. 7. & 8.  
 HENRICI Admin. Pad. 6. & 7.

Alenfonius temere nimitur, belgiū acatholicū suæ solius potestati subdere.

Spond. ad hunc annū. Flareus in ann. brab. Strada de bello Belg. dec. 2. l. 5.

Dünckerckam, Tenaramundā & dixmūdā feliciter per tumultum occupat. Auctores iidem.

Antwerpia ex insidiis oppressur<sup>9</sup>, fœdā suorum clade rejicitur.

Auctores iidem.



Actenus Alenfonius inane Ducis nomen in Belgio turbato gesserat. Nullam ferè urbem tenebat solus; munitorum locorum præsidia constabant simul ex aliis Arausicano Principi devotis; belli sumptus non solvebantur; miles Gallicus laborabat magnâ victûs inopiâ; deerat omnis imperandi auctoritas, totarum summa vel potestas erat penès Arausicanum & Ordines fœderatos, qui novo Duci ferè nihil præter inanem dignitatis umbram reliquerant. Itaque ut ex hisce tædiis quàm primùm se expediret; præcipiti consilio statuit, simul uno die, nimirum decimo septimo Januarii, Antwerpiam, Ostendam, Neoportum, Brugas, Dünkerckam, Dixmūdā, Tenaramundā, & alia quædam oppida, per improvisum Gallicani militis tumultum suo solius juri ac imperio subicere. Evenit res illa prospere in aliquibus locis, ubi numero vincebant Galli; putà Dünkerckæ, Dixmūdæ, ac Tenaramundæ: contra verò minùs prospere Neoporti, Brugis, & Ostendæ, ubi major erat civium & aliorum præfidiariorum copia. At nullo in loco res infeliciùs gesta, quàm in urbe Antwerpiensi, cujus occupationem & subactionem pro majore gloria sibi delegerat Alenfonius ipsèmet. Multas equitum, peditumque suorum copias ante hanc urbem congregari jusserat, sub ementito prætextu mittendi eas in hostem. Ibi dum à biduo constitissent; circa prandium diei præstitutæ cum ingenti militum, ac Nobilium suorum comitatu extra urbem vehitur, quasi exercitum ad bella promptum lustraturus. Transeunti primam portam, & jam consistenti in secunda, per speciem honoris exhibendī obviam ei de castris veniunt nonnullæ equitum Gallicorum turmæ. Statimque Alen-



Alenfonius, ad suos conversus, urbemque manu monstrans: *Eja*, inquit, *filii mei, jam vestra est Antwerpia*. Quo audito miles omnis, qui praestò erat, occisis excubitoribus portas occupare, in urbem ruere, socios è vallis advocare, insequentéque mox toto exercitu per plateas & compita se dividere, propugnacula conscendere, tormenta in urbem vertere, mercatoriam domum invadere, obstantes interficere, victoriam inclamare. Mirabantur primò cives, quò hæ voces, quò arma tenderent. At ubi paulò post viderunt, imperium urbis proditoriè à Gallis peti; etiam ipsi ad resistendum se accingere, campanæ signo plebem convocare, arma capere, praesidiario militi se conjungere, plateas catenis obductis claudere, pleno impetu in Gallos dispersos ruere, gladiis, hastis, bombardis, clavatis fustibus, & omni obviòrum instrumentòrum genere in eosdem ità desævire, ut intrà unius horæ spatium totà urbe rursus ejecti fuerint. E civibus in hoc tumultu perière circitèr octoginta: è Gallis verò mille & quingenti, inter quos non minima pars è præcipua Nobilitate, præter complures alios bello captos.

Proditorium illud, fraudibusque plenum facinus novo Duci non modò summum odium apud omnes Belgas; sed etiam repentinam Principatùs malè coepti jacturam attulit. Nam ex eo tempore, ab Antwerpianis in fugam pulsus, à Belgis aliis derelictus, annonà interclusus, inopià pressus, reconciliationis obtinendæ spe dejectus, tandem exeunte Junio, convasatis omnibus, è portu Dünkerckiano Calêtum abiit; inde ulterius in Galliam, unde venerat, non sinè ignominia ac dedecore, discessit. Tum verò Alexander Farnesius, gravi metu & hoste liberatus, continuò Dünkerckam adhuc à Gallis infessam obsidet; eamque, desperato Ordinum Geusicorum auxilio, intrà sedecim dies acerrimà oppugnatione in sui Regis potestatem redigit. Sequebantur mox urbes aliæ, simili armorum impulsu domitæ; scilicet Neoportum, Winnoxberga, Furna, Dixmüda, Menina, Steinberga, Alostum, Zutphania, cum diversis oppidis infirmioribus: in quibus ubilibet Religionem Catholicam in statum antiquum restitui iussit, Calvinianis omnibus domo pulsus, & in alia loca demigrantibus. Neque dubium est, quin laudatissimus hic belli dux (cui Hispanorum, aliorumque militum externorum revocatio præcedente anno rursus ab Ordinibus Catholicis permissa erat) victricia signa longè amplius toto Belgio fuisset extensurus, dummodo Philippus Rex, Lusitanico bello etiamnum impeditus, majores Hispanorum copias cum amplioribus pecuniarum subsidiis in Belgium transmisisset. Qua de re Farnesius ipsemet apud Regem conquestus est\* hisce ver-

Idcirco à Belgis malè habitus, abjectà Principatùs retinendi spe in Galliam revertitur.

Spond. n. 2.

Har. us,

& Strada,

loc. cit.

Eo abscedente Farnesius Dünkerckam,

Neoportum,

& alias urbes foederatis eripit.

Spond. ib.

Har. us

& Strada

loc. cit.

\* Strada de bello Belg.

dec. 2. l. 5.

bis:



bis: si ab Hispania mitterentur auxilia, quibus exercitum abunde auget; sperare se Deo duce, intra annum universam Brabantiam potiturum. Imò si semel vis omnis, quanta ab Regum potentissimo exseri potest, ad profligandos hostes adhiberetur; eosdem, qui nunc divisim Hispanorum conatibus pares sunt, conjunctis in unum viribus impares fore, ac demum fortiori sese dedituros esse. Contra verò, si totam belli mole in eos non incumbatur; vereri se, ne bellum infinite protrahatur, et Regis cura adhuc annis compluribus in extinguendo hoc incendio fatigentur.

Truchsesius  
Colon. Archiepiscopus  
à Pontifice,  
Imperatore  
propriisq;  
subditis  
frustra monitus,  
\*Iselt l. 1.  
belli Colon.  
pag. 76.

Ruinam Alenonii propediem consecuta est ruina fidentissimi clientis ejus, Gebhardi Truchsesii, Colonienfis Archiepiscopi. Jam ab anni superioris exitu pervenerant ad hunc diversarum legationes ac literarum, ab ejusmodi personis missarum, quibus Ecclesiarum Colonienfis incolumitas cordi esse poterat ac debebat. Monuerat eum Gregorius Papa, ne quid in rebus Fidei\* novandis ageret, unde sibi, subditisque suis æternum animarum detrimentum pareret. Monuerat Rudolphus Imperator: cogitet, ea, quæ ab ipso agi ac procedi ferebantur, esse contra sacros Canones, esse contra veteres Romani Imperii constitutiones, esse contra pacem Religionis compluribus abhinc annis communi Principum consensione stabilitam, esse contra omnia jura, tam nova, quam antiqua. Monuerant bini alii Electores Ecclesiastici, ne concupitæ mulieris amore Fidem avitam deferat: à Principibus Catholicis nunquam permissum iri, ut matrimonium jungat huic infulæ; & si id ipsis invitis agat, pomum Eridos ab eo jaciendum esse, quo tota Imperii machina disturbetur. Monuerant denique non solum Canonici Metropolitanis, & alii Proceres, Ordinésque Rhenani; sed etiam omnes\* Consilarii provinciales Ducatus Westphaliæ, qui adhuc recenter humillimis literis, Arensbergæ duodecimâ Januarii datis, eundem obtestati fuerant: curaret omnes discordias, inter ipsum et Capitulum excitatas, periculosissimis hisce temporibus per viros pacificos exequari, ne in hoc laudatissimo Archiepiscopatu necessaria capituli et membrorum concordia dirumpatur: alioquin vereri se, ne calamitates Belgicæ, jam à pluribus annis ante oculos ipsorum posita, etiam in hunc Archiepiscopatum se diffundant; atque ita hic etiam impleatur illud Christi: omne regnum in se divisum desolabitur. His tamen omnibus flocci habitis, pertinax in impuro amore Agnetis suæ ipso festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, cum eadem sacrilego matrimonio se conjunxit. Atque, ut suorum subditorum aliquos novi sceleris approbatores inveniret; septendecim diebus antè, nimirum decimâ sextâ Januarii stylo veteri, publicum edictum edidit, in quo Dioecesanis omnibus conscientiarum & Religionis libertatem indulgebatur hisce verbis: *Illustres, Nobiles, et plebejos quosdam in Dioecesi sua*

Matrimonium init cum Agnete sua.  
Iselt l. 2.  
belli Colon.  
& in tota Dioecesi libertatem Religionis permittit.  
Iselt ibid.

peti-



petiisse à se libertatem Religionis, usumque sacramentorum in Ecclesiis, Augustana Confessione deditis, exerceri solitum. Hæc verò postulata, sal-  
vâ conscientia suâ, à se rejici nequiquam potuisse, ne divinis mandatis ob-  
strepant; negligâtque officium boni Principis, cujus est, Regi gloriæ portas  
attollere, eumque venientem expansis brachiis excipere. Quapropter, ha-  
bitis amicorum suorum consiliis, perlibenter se permittere, et omnibus Præ-  
latis, Comitibus, Dominis, vassallis, urbibus, pagis, et aliis communita-  
tibus in sua Diocesi constitutis, generalem facultatem dare, ut ea, quæ ad  
Religionem et sacramenta pertinent, juxta formulam Confessionis Augu-  
stana (sub qua etiam se tegebant Calvinistæ) sine ullo judicium aut Ma-  
gistratum impedimento palam institueret et adornare valeant: ita tamen,  
ut alii, qui Catholicam Fidem retinere et in ea perseverare volent; nul-  
lam planè molestiam creent, aut eosdem oppugnare, persequi, vel calum-  
nari ausint.

Erant adhuc id temporis in Capitulo Metropolitano complu-  
res viri integritate & zelo Religionis præstantissimi, non solum ex  
eorum Ordine inferiori, quos vulgò presbyteros nominant; sed  
etiam ex illustriori Ordine Ducum, Principum, & Comitum, quos  
adhuc antiquæ Fidei & spiritûs divini fervor impleverat. Nôrant  
illi, quanta sibi in Truchsesium potestas esset ex antiqua, jurataq;  
Ordinum\* provincialium unione: nempe ut, si Archiepiscopus an-  
tiqua Diocesis pacta vel conventiones infringat, si invitis Ordinibus mi-  
litem conscribat, si suis arcibus et castris externum præsidium imponat, aut  
(quod anno 1550 post Hermanni Wiedani exaugurationem com-  
muni Ordinum consensu appositum est) si in negotio Religionis\* no-  
vationem aliquam contra veterem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem insti-  
tuere præsumat, neque, à Capitulo Metropolitano monitus, ab hujusmodi  
rebus et machinationibus absistat: prædictum Capitulum status omnes Duce-  
cesanos ad comitia generalia convocare debeat; eoque factò iidem Ordi-  
nes vel Status patriæ à juramentis Archiepiscopo suo præstitis exsoluti, cum  
Capitulo se conjungere, eidemque soli in posterum obedire ac parere debeant.  
Hac igitur potestate in modernis turbis utendum rati, universis  
Statibus per circulares literas indixere, ut vi unionis antè dictæ die  
vicesimâ septimâ Januarii Coloniâ veniant, atque ibidem postri-  
die interfint generali Ordinum conventui, in causâ Truchsesiana  
& novationibus ab eo factis instituendo.

Subinde locus comitorum opportunè constitutus fuit in am-  
plissimo Patrum Dominicanorum cœnobio; totusque Rhenus in-  
ferior cum vicina Westphalia suspensus erat ad eventum periculo-  
si hujus conventûs. Pro Truchsesio stabant à Capitularibus Geor-  
gius Comes de Witgenstein Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus,  
Hermannus Adolphus Comes de Solms, Thomas Baro de Krie-

Capitulum  
Coloniense  
in causa  
Truchsesia-  
na convo-  
cat comitia  
provincia-  
lia.  
Iselt l. 2.  
belli Colon.  
pag. 130.  
vulgò  
Land  
Bereint-  
gung.  
erklärte  
Land  
Bereint-  
gung de  
anno 1550,  
apud Klein-  
sorg. ibid.

Nomina  
Capitulariū  
qui in his  
comitiis  
pro; vel  
contra  
Truchsesiū  
steteret.  
Iselt l. 2.  
belli Colon.



chingen, Joannes Baro de Winnenberg, & Henricus è Ducum Saxo-Lawenburgicorum familia Archiepiscopus Bremensis & Administrator Paderbornensis; qui die decimâ nonâ Januarii Coloniâ venerat, periclitanti amico suo fidelem operam præstiturus. Contrâ verò in Truchsesium acerrimè stabat ejusdem Bremensis Archiepiscopi frater Fridericus Chorepiscopus ac Thesaurarius, Antonius Comes de Schawenburg Decanus, Christophorus Comes de Tengen Vice-Decanus, Adolphus Comes de Manderscheid Scholasticus, Wilhelmus & Joannes Comites de Salm, ac reliqui ferè omnes; quibus egregios animos addidère Legati Casaris, aliorumque Ducum & Principum Catholicorum. Primo die comitorum in confessu publico recitata, prælectaque sunt ea, quæ à Truchsesio contra antiquam, juratamque *Ordinum provincialium unionem* perpetrata fuerant: simulque rogati sunt Ordines Dioecesani, ut pro bono totius patriæ maturè deliberent inter se, an insolentissimas hujusmodi violationes tolerare; an verò iisdem cordatè se opponere, veteremque *unionem* suprâ dictam communi virium & animorum confociatione factam, tectamque conservare velint? Consultatum est hac de re toto sequente triduo: atque interim à fautoribus Truchsesianis afferebantur multa, quæ statibus congregatis non parvum terrorem incutere possent. Hermannus Adolphus Comes Solmensis vehementi magis, quàm prudenti oratione jactitabat: *Collegas suos \*Metropolitane Ecclesie Canonicos minus consultò agere, quòd Archiepiscopi sui studiis tantâ animorum contentione reluctentur. Si sic perrexerint, non solum in Archiepiscopatu Coloniensi; verùm etiam in Imperio toto gravissimos tumultus excitatum iri.* Eadem obmovebat Joannes Dux Bipontinus, & alii Principum acatholicorum Legati; minitantes insuper, quòd, si Truchsesio adversi aliquid mutatæ Religionis causâ eveniret, Electores acatholici ferro & armis eidem adstituri sint. At nemo omnium hac in re impudentiorem se exhibuit, quàm Otto Wolmeringhusius Nobilis Westphalus, ac novationum Truchsesianarum promotor pestilentissimus. Is, cum à Truchsesio inter consiliarios Westphalicos noviter adscitus esset, videretque neminem è Ducatus Westphaliæ statibus in his comitiis comparere; audacter ad ceteros Ordines Rhenanos adiit, & inauditâ\* mentiendi licentiâ finxit, Ordines Westphalicos cum Truchsesio & Augustana Confessione ab eodem admittâ facere, seseque ad hoc declarandum ac denuntiandum ab iis missum esse. At hic impostor, licet initio quosdam conterruerit, brevi ab his comitiis cum ingenti pudore & confusione depulsus est. Præterquam enim quòd nullâ scripturâ publicâ huic denuntiationi suæ fidem facere potuerit; paulò post advenerunt

Propositio  
in comitiis  
facta.  
*Iselt ibid.*  
pag. 141.

Oppositio-  
nes Truch-  
sesianorū.

\**Iselt ib.*  
pag. 147.

\**Kleinsorg.*  
in diario  
hisl. Truch-  
ses.

Ordines  
Westphali,  
excusata  
absentiâ  
suâ declas

authen-



authenticæ eorundem Ordinum Westphalicorum literæ Arensbergâ missæ, quibus non modò absentiam suam decenter excusârunt; sed etiam unanimi sigillorum ac nominum suorum appositione contestati sunt, *se antiquæ Statuum Diœcesanorum unioni constanter in-herere, nec ab ea latum unguem recedere velle.*

Tum verò Illustrissimus vir Antonius Comes de Schawenburg, majoris Ecclesiæ Decanus, magnâ constantiâ assurrexit; frustra que infrementibus adversariis, primus omnium sententiam suam\* hisce verbis aperuit: *Nemini vestrum, ut opinor, ambiguum esse potest, quin modernæ machinationes Archiepiscopi nostri directè pugnent cum antiquis provincialium nostrarum statutis et conventionibus, quas vulgò statuum unionem vocant. Ab hac autem unione ut recedatur, et pro antiqua, sanctissimâque Religione Catholica jam nobis perperam obtrudatur novitia quadam fides Confessionis Augustanæ: id enim vero nec ego, quantum in me est, permitti patiar; neque vos pariter, si viri esse vultis, per salutem animæ vestræ concedere poteritis aut consentire. State igitur in hac unione tam sancta et antiqua! Id enim Comites, id viros Nobiles et generosos, id fidelem Reipublicæ Magistratum decet. Hæc sententia, à tali viro tam intrepidè prolata, mirificè erexit animos, non modò ceterorum Capitularium; sed etiam reliquorum statuum, Procerumque totius Diœcesis. Atque ideo protinus die primâ Februarii concordibus omnium votis\* conclusum est: *Truchsesium peccasse, Capitulum rite ac legitime processisse, Status omnes Diœcesanos, pro tuenda unione veteri, conjunctis animis cum Capitulo contra Truchsesium stare velle ac debere.* Simul etiam Lintziesibus, Andernacensibus, aliisque oppidis à Truchsesiano milite nondum infestis, comitali decreto imperatum fuit, ut adversus Archiepiscopum sollicitè se præmunirent, & in posterum soli Capitulo in rebus agendis morem gererent.*

Quo audito Henricus Archiepiscopus Bremensis, contra hæc Ordinum provincialium decreta frustra protestatus, altero statim die Coloniam deseruit. Fridericus autem frater ejus, Colonien- sis Ecclesiæ Chorepiscopus, priori vespere jam discesserat, ut pro egregio suo in Catholicam Religionem studio Truchsesianorum vires infringeret; castrâque & urbes, ab iisdem occupatas, impro- viso Marte ad Capituli sui obsequium revocaret. Neque defuit fortuna cœptis. Nam intrâ paucas hebdomades Cæsaris-Wer- dam, Brülam, Hulckeradam, & Linnam, celeritate magis & stra- tagemate, quàm vi & armorum pondere tam feliciter subegit, ut Cæsar ipsèmet\* de tanta fortitudine & constantia eidem per literas maximopere gratulatus fuerit. At, quia justum exercitum non habebat, & aliunde satis compertum erat, à quibusdam Prote- stanti-

rant in co-  
mitiis, con-  
stanter se;  
inhæfuros  
antiquæ  
statuum  
unioni.

Kleinsorg.  
in diar. cit.

Antonius  
Comes de  
Schawen-  
burg Deca-  
nus contra  
Truchsesiū  
declarat,  
standū esse  
antiqūa  
unione stas-  
tuum:

\* Isfelt l. 2.  
belli Colon.  
pag. 149.

Cui senten-  
tiæ se ad-  
jungunt o-  
mnes Ordines Diœce-  
sani.

\* Isfelt ib.  
pag. 155.

Henricus  
Archiepisc.  
Bremensis  
discedit  
Coloniâ;

Isfelt l. 2.  
pag. 159.

Fridericus  
frater ejus  
strenuè mi-  
litar contra  
Truchsesiū.

\* Isfelt pag.  
168.



Truchfesi<sup>o</sup>  
à Gregorio  
XIII. exau-  
güratur, ac  
dejicitur à  
fuo Archie-  
pifcopatu.

In ejus loci  
fufficitur  
Erneftus  
Bavarus,  
Ep. Leod.,  
Hildef. &  
Fringenfiſ  
*Iſfelt l. 2.  
belli Colon.  
pag. 262.  
& l. 3. pag.  
280.*

Nec multò  
poſt etiam  
fauores  
Truchfeſii  
ſuis digni-  
tatibus &  
beneficiis  
Eccleſiaſti-  
cis exuun-  
tur.

*Iſfelt l. 3.  
pag. 283.*  
Truchfeſi<sup>o</sup>  
ex urbe  
Bonnâ abijt  
in Naſſoviâ  
*\* Iſfelt l. 2.  
pag. 159.  
\* Iſfelt ib.  
pag. 163.*

ſtantibus magnos militum delectus pro Truchſefio fieri: magnifi- cum ac grande nihil contra eundem effici priùs poterat, quàm ex mandato ſummi Pontificis crearetur novus Archiepiſcopus, qui, & unà cum Ordinibus Dioceſanis de copioſiore milite conſcriben- do agere, & à ſuis conſanguineis, aliisq; Principibus Catholicis, neceſſaria peditum, equitumque ſubſidia comparare queat. Huic igitur neceſſitati ſubventurus Pontifex, tandem die primâ Aprilis Gebhardum Truchſefium, velut *hominem Romana Eccleſia rebellem et excommunicatum*, Archiepiſcopali dignitate ſuâ, omnibùsque aliis dignitatibus, Canonicatibus, beneficiis, juribus, & proven- tibus Eccleſiaſticis privavit; ſimùlque Metropolitanum Capitulum ſeverè monuit, ut acceptâ hujus privationis notiâ continuò no- vam electionem indici, atque ad eam ſinè omni longiore mora pro- cedi curret. Optatiſſimum id erat Capitulo, Paſtorem alium diu præſtolanti. Proinde ſtatim revocatus in urbem Fridericus Chor- Epifcopus, conſultatum de die & modo electionis, procurata à ſe- natu eligentium ſecuritas, ac demum die vicesimâ 3tiâ Maji Erne- ſtus Bavarus, Leodiſis, Hildeſienſis, ac Frifingenſis Epifcopus (qui jam ante duos menſes Coloniam venerat) unanimi Canoni- corum ſuffragio ad Archiepiſcopalem cathedram poſtulatùs eſt, cum incredibile totius urbis, Ordinùmque omnium applauſu & gratulatione. Nec multò poſt etiam omnes ii, qui de Capitulari gremio Truchſefium ſecuti fuerant, neque in ſinum Eccleſiæ Ca- tholicæ reverti voluère (nimirum Georgius Comes de Witgenſtein major Præpoſitus, Hermannus Adolphus Comes de Solms, Joan- nes Baro de Winnenberg, ac Thomas Baro de Kriechingen) à Nun- tio Apoſtolico citati, condemnati, excommunicati, & omnibus dignitatibus, beneficiis, & obventionibus Eccleſiaſticis, per ſen- tentiam publicam exuti ſunt.

Interea res Catholica per Ducatum Weſtphaliæ ferè penitùs diſperibat iniquis auſibus Truchſefii. Diſceſſerat ille Bonnâ die quartâ Februarii ſtylo vetere; direptòque priùs \* archivo publico, in quo ſcripturæ veteres totius Dioceſis eatenus cuſtoditæ fuerant, properatò receperat ſe Dillenburgum ad Joannem \* Naſſovium, Wilhelmi Principis Arauſicani fratrem: ubi non modò Comitum vicinorum ſtudio factionem ſuam ſtabilire, niſus eſt; verùm etiam vaſa omnia pretioſa, è Brülenti caſtro ante annum ablata, in mon- etam & militum ſuorum ſtipendia cudi fecit. Indè primùm ali- quos è ſuis emiſſariis, maximèque Ottonem de Wolmeringhaufen & Joannem Grote civem Gefekenfem, præcipuos iſtius mali ope- ris architectos in Ducatum Weſtphaliæ præmiſit, ut oblatâ Reli- gionis libertate plebem commovere, & popularium animos ab an- tiqua



ti qua Statuum unione, pariterque à Capituli Colonienſis obedientia, diſjungere & ſevocare conarentur. Quod cum illi malis artibus ac mendaciis tam dolose fabricari & contexere incepiſſent, ut etiam aliquos è Nobilitate, & aliquos ex urbium aliquarum confulibus, in rete ſuum traxerint; continuo Truchſeſius die decimâ quartâ Februarii (ſtylo vetere) pervolavit in Weſtphaliam, venitq; Medebacum. Urbs hæc, unâ cum quibuſdam aliis, nimirum Winterbergâ, Hallenbergâ, Stadtbergâ, & Volckmariâ, quæ in Haſſorum & Waldecenſium confiniis jacent, jam ante unam alterâve ſeptimanam ab Ottone de Wolmeringhaufen ad novi Evangelii doctrinam traducta erat. Atque ideo Truchſeſius tam optato ſucceſſu hilaris, biduo poſt Briloniam abiit; ibique pari modo acatholicæ Religionis exercitium, die decimâ ſeptimâ Februarii (ſtylo vetere) ſolemniter introducere cœpit per Valentinum Schönæum Prædicantem Haſſicum. Peractâ hujus concione, Paſtorem Catholicum *Svicardum Steven* (vel, ut alii vocant, *Steffens*) ambosque ejuſdem Sacellanos *Wilhelmum Koch* & *Joannem Nöggeradt*, in ædes alicujus civis accerſivit, & per Ottonem Wolmeringhuſium interrogari fecit, num& ipſi reformationem Truchſeſianam acceptare vel amplecti velint, nec ne? cumque idipſum cordate recuſaret Paſtor, Sacellani autem in id perperam conſentirent: Parochialis Eccleſiæ regimen propudioſis hujusmodi apoſtatis commiſſum eſt; Paſtor autem ab officio ſuo iniquiſſimè dejectus, & in anguſtum Brilonienſis noſocomii ſacellum pro Catholicorum civium uſu ac neceſſitate retruſus fuit. Imò ne ibi quidem diu tutum eſſe, & Catholicorum ſuorum ſaluti vacare licuit. Nam paulò poſt in feſto Paſchatis, cum in Eccleſia parochiali valde pauci ad ſynaxin Lutheranam vel Calvinianam accedere vellent; *Svicardus* etiam è ſacello iſto excluſus, à ſacramentis more Catholico miniſtrandis prohibitus, dein urbe pulſus, nec niſi poſt annum integrum ab Erneſto Bavaro in parochiam, ſedemque priſtinam reſtitutus eſt. Adeò bellè, ſanctèque Truchſeſius præſtitit, quod initio hujus anni, cum Auguſtanæ Confeſſionis libertatem obtruderet, fraudulenter ac dolose venditaverat: *nolle ſe, ut eâ occasione aliquid moleſtiarum aut perſecutionum inferatur iis, qui Catholicam Fidem retinere, et in ea perſeverare ac mori velint.*

Sed hæc ſolum erant initia malorum, quæ conſecuta ſunt. Die decimâ octavâ Februarii (ſtylo vetere) Truchſeſius Brilonienſi ex urbe advenit Arensbergam, ibidemque pariter affigi & publicari juſſit pernicioſum illud edictum ſuum de permittenda Religionis libertate. Ac tamen tunc nemo omnium favorem iſtum amplexus fuerit; ſperabat tamen, id proximè & majori cum effe-

Inde verò  
in Weſt-  
phaliam.  
*Kleinſorg.*  
*ibid.*

Medebacû,  
Winters-  
berga, Hal-  
lenberga,  
Stadtberga,  
& Volck-  
mariâ, ur-  
bes defi-  
unt à Fide  
Catholica.  
*Kleinſorg.*  
*ibid.*

Brilonia ad  
Auguſtanâ  
Confeſſio-  
nem tradu-  
citur, Paſtor  
Catholicus  
deponitur,  
ac tandem  
exulare cogit  
pro Fide.

*Kleinſorg.*  
in diario  
hiſt. Truch-  
ſeſ.

Arensberga  
in Fide Ca-  
tholica  
perſeverat.  
*Kleinſorg.*  
*ibid.*

ctu



Ibidem à  
Truchsesio  
indicuntur  
comitia  
provincia:  
lia:  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

In quibus  
rogat Ordines  
Westphaliae, ut  
sibi assistant  
contra Capitulum  
Colonienſe  
& persecutiones  
ab eo motas  
propter concessam  
Religionis  
libertatem.  
*Kleinsorg.*  
*in diario*  
*hiſt. Truch-*  
*ſes.*

Rogat etiã,  
quid reſpon-  
deri debeat  
Capitulo, ejuſ-  
que literis,

ctu futurum eſſe in comitiis provincialibus, quæ promovendorum ſclerum ac novationum ſuarum cauſâ ibidem indixit in quintum Idus Martii, profecturus interea ad amicos ſuos, putridæque cauſæ deſenſores. Primâ die comitorum nihil propoſitum eſt, propter abſentiam aliquorum Comitum & Magnatum, quos ad eſſe volebat Præful. Omnibus tamen ibi congregatis (licet adultâ jam quadrageſimâ) tam in urbe, quàm in arce, largiſſimæ carnes miniſtratae ſunt; non ſine magno eorum, qui huiusmodi cibos recuſabant, improprio ac deriſione. Sequenti die (quæ erat duodecima Martii, & feria tertia poſt *Latave*, ſtylo veteri) Truchſeſius cum ingenti comitatu in curiam ſenatoriam venit; & ea, quæ à Patribus conſcriptis in communem deliberationem adduci voluit, contra omnem annorum veterum conſuetudinem proponi fecit per Jacobum Schwartzium Doctorem Calvinianum, virum ſcilicet extraneum, & Joannis Comitum Naſſovii conſiliarium. Prælegebat hic primùm varias, longiſſimâſque literas, & ex iis declarabat, quàm bono, ſanctoque zelo Truchſeſius Auguſtanæ Confeſſionis libertatem ſuis ſubditis indulgere coeperit? quæ contentiones ac diſſidia ex laudabili hoc opere nata ſint inter ipſum & Colonienſe Capitulum? quænam idcirco ſeditiones contra eum profuſæ fuerint in comitiis Colonienſibus, Capitulari decreto convocatis? ac demum quæ bella & armorum fremitus ea propter formidari debeant à Capitulo & Principibus Catholicis? Tum deinde plauſibilibus verbis adjugebat, quàm copioſa militum auxilia Truchſeſio promiſſa fuerint à diverſis Principibus acatholicis, quorum Legati aderant: ſimulque rogabat Ordines Weſtphalicos, ut et ipſi fidelem opem Truchſeſio ferre, et Confeſſionem Auguſtanam non modò promptis animis acceptare; ſed etiam armis, corporibusque ſuis tueri conſantiſſimè velint. Propoſitionem hanc ſecutæ ſunt liberales epulæ, præſertim in arce Electorali: in qua omnes viri Nobiles cum Truchſeſio pransi, vinôq; tam copioſo proluti & ingurgitati ſunt; ut eorum plures, inuſitatis hauſtibus expugnati, porrectâ manu Truchſeſio fidem dederint, ſe ejuſdem conſiliis aſtipulatuſque, vitamque & bona omnia ipſius tutandi cauſâ profuſuros eſſe.

Poſtridie Legatus Brunſvicenſis, unâ cum duobus Legatis Haſſicis, oratione longâ Patres conſcriptos adhortatus eſt, ut oblatam Religionis libertatem grato animo reciperent, neque glorioſis Truchſeſii conatibus repagulum aliquod obmoverent. Schwartzius autem, Truchſeſii delirantis os & lingua, novam aliam propoſitionem ſecundariam attulit: nimirum, quid reſponderi debeat ad literas à Colonienſi Capitulo miſſas, in quibus prolixè declarabatur, Truchſeſium propter apoſtaſiam & matrimonium ſuum

Archi-



Archiepiscopali dignitate suâ excidisse; ideoque non ampliùs illi, sed sibi, ex antiqua Statuum provincialium unione vel conventionem à se compositam: simulque ab Ordinibus congregatis petiit, ut super utraque propositione, tam primaria, quàm secundaria, mentem suam ocyùs Truchsesio id urgenti explicent. Censuerunt plerique, in re tam ardua pro veteri more primùm exquirenda esse iudicia Consiliariorum provincialium, eaque postmodum solerter ac pensulatè conferri oportere cum arbitrio aliorum Statuum; ut hac demum ratione faciliùs in unam omnes sententiam coeant. Neque huic officio suo defuere prædicti Consilarii cum suo Præsidente, Satrapa provinciali. Etiam si enim nulla rerum lectarum ac propositarum apographa iisdem tradita vel communicata essent (quia Schwartzius & commilitones ejus malebant illic omnia tumultuariè & sinè maturo consilio fieri) ex iis tamen, quæ inter legendum ac proponendum studiosè observaverant; arbitrium suum, ad postulata Principis, quàm celerrimè in chartam coniecere, hac deprecandi & respondendi formulâ: *dissensiones, inter ipsum et Coloniense Capitulum ortas, popularibus omnibus acerrimo dolore esse; nec iisdem aliquid ardentioribus in votis fuisse ac fore, quàm ut hujusmodi dissidia in primis eorum scintillulis opprimerentur, vel adhuc dum sopiri possent.* Quoniam verò dissensiones illæ, turbæque bellicæ, Westphalicarum ditionum culpâ suscitata vel incepta non fuerint; idcirco adhuc dum ab iis dispici ac definiri non posse, an hujusmodi negotiis bellicis in unam alterâve partem assentiri, unique magis, quàm alteri propalam se adungere, sinè temeritate et præjudicio ausint? præsertim cum Celsitudo sua Electoralis, unâ cum Principibus eidem assentientibus, et vicissim Coloniense Capitulum, unâ cum Rudolpho Imperatore et aliis Principibus, in hoc litigio sententias toto ferè cælo disjunctas ferant; de quarum equitate vel iniquitate iudicium ferre, præsentisque belli partem in se suscipere, profectò res est, longè suprâ hujus exiguæ provincie vires et facultatem posita. Adhæc etiam negotium esse tale, quod non modò concernat unam hujus Archidiocesis partem; sed omnino totam Archidiocesis, omnesque illius Ordines, tam Rhenanos, quàm Westphalicos, tam Ecclesiasticos, quàm seculares, eorumque omnium salutem, animas, corpora, bona, iustitias, consuetudines, privilegia, libertatem, et antiquam, semperque sanctam Ordinum Diocesanoꝝ unionem: ac proinde in re tam communi et ad omnes pertinente, solos hujus Ducatus incolas inauditâ aliâ suorum provincialium parte nihil agere, dijudicare, statuere, vel ad id exequendum conferre posse, juxta regulam communem juris: quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

declarantibus Truchsesium Archiepiscopatu suo excidisse? Kleinforger. ibid.

Consilii provincialis ab Ordinibus rogari suadent, ab ea controversia minus abstrahendâ, neque huic negotio temere injiciendam esse. Kleinforger. ibid.



Otto à  
Wolmes-  
ringhusen,  
& Joannes  
Grote, om-  
nem Ordini-  
um con-  
sultatione  
impediunt,  
obtruso per  
tumultum  
alio respon-  
so Doctoris  
Schwarzii:

\*Kleinsorg,  
in diario  
bist. Truch-  
ses.

Quod ab  
aliquibus  
approbatur  
à plerisque  
autem reji-  
citur,  
Kleinsorg,  
ibid.

Truchsesi  
ex menda-  
cissima re-  
latione Jo-  
annis Grote  
responsum  
illud  
Schwarzianum  
velut com-  
mune pla-  
citur pub-  
licari jubet,  
plerisque  
reclamanti-  
bus.  
Kleinsorg,  
ibid.

Hoc senatûs consultum, uti revera prudentissimum erat, ita & innumeras calamitates depulsurum fuisset ab hac provincia, nisi omne consilium præcipiti motu pervertissent conscelerata duo capita, Otto à Wolmeringhausen, vir equestris familiæ, & Joannes Grote civis Gesekensis, uterque in suæ patriæ exitium natus, & magnis insuper promissis ad omnem scelus incitatus. Primus horum in senaculo Ordinis equestris consultationem omnem impedit per inconditos clamores paucorum sibi adhaerentium: atque interim aliud responsum à Doctore Schwartzio compositum, quod omnia Truchsesii postulata comprobabat, furtivo modo ad urbium Legatos attulit, mendacissimè jactitans, *hanc esse mentem Ordinis equestris*. Alter verò, Joannes Grote, responsum illud Schwartzianum, veluti certissimam equestris Ordinis decisionem, Legatis urbium prælegit, urgente interim ac sæpius inclamante Wolmeringhusio: *non esse tempus hac de re diu consultandi: Truchsesium quàm ocyssimè de ipsorum arbitrio doceri velle; neque prius abiturum se, quàm huic scripto consensum præsent*. Fuere quidem aliqui ex Legatis urbium, qui præfestino impetu responsum illud, fallaciter obtrusum, probaverunt. Alii verò, maximèque hi, qui ex urbe Werla, Riida, Menda, Attendorna, totòque comitatu Arensbergico missi fuerant, consensum negavere: petebantque sibi prius exhiberi aliud senatûs consultum, à provinciali Satrapa, ceterisque ejusdem consiliariis ea de re conscribi jussum. Quod ubi tandem in congressu publico recitatum est; plerique omnium congregatorum, tam Nobilium, quàm urbicorum, communi suffragio decrevere, prudentissimo isto consiliarium provincialium judicio standum esse: præsertim si in ejus contextu (uti protinus factum est) omitterentur aut mitigarentur pauca verba, quæ Truchsesio, vel extraneis acatholicorum Principum Legatis, forsan aliquid offensionis creare possent.

Et tamen (quid non audet infrunitum os?) tamen iste Joannes Grote cum quibusdam aliis cucurrit ocyus ad Truchsesium; eisdemque supra dictum illud responsum Schwartzii, velut communi Ordinum suffragio probatum, obtulit. Stupuere ceteri (cùm id audirent) unde huic homini tam impudica frons & mendacitas? imò & alterâ die in comitiis publicis complures ausi sunt palàm de ipso dicere: *eum ista mentiri in suum caput: nunquam ei à patriæ Statibus demandatum esse, ut hujusmodi commenta ad aulam perferat: et, si ita pergat in rebus tanti momenti ludere; meritò vereri se, ne brevi dies appetat, quo halophanta iste minuatur capite*. Sed frustra hæ protestationes! frustra omnis reliquorum Ordinum & consiliarium oppositio! Truchsesio placebat magis hoc mendacium, quàm aperta veri-



veritas: atque ideo die 15 Martii responsum illud Schwartzianum, velut commune placitum comitiale, solenni ritu publicari iussit; plerisque Ordinibus, ne id audirent, celeriore abitu jam dilapsis. Nec multò post introducendæ Confessionis Augustanæ curam Wolmeringhusio commisit, Præcones heterodoxos à Principibus vicinis petiit, ac demum ipsèmet amplioris militiæ conquirendæ causâ in comitatum Nassoviensem & Palatinum abiit.

Secuta mox ingens Catholicæ Religionis disturbatio. Wolmeringhusius enim, Truchsesii mandato pariturus, continuò Valentinum Schonæum, Superintendentem Ziegenhainensem in Hassia, die 22 Martii deduxit Werlam, ut ibidem in parochiali templo recipiendæ Confessionis Augustanæ principium faceret. Opposuerunt se quidem huic novationi præcipui senatores cum duobus consulibus, Joanne Gôdden & Gerharo Brandis, viri omnes probè Catholici, & in Fide antiqua stabiles. At, quia contiguum urbi castrum à Truchsesiano milite infestum erat, gravi metu adacti sunt eam injuriam pati eâ lege, ut sibi & omnibus Catholicis liberum suæ Religionis exercitium relinqueretur ab hora quinta matutina usque ad octavam. Quo concesso, Wolmeringhusius alterâ die (in quam hoc anno festum Annuntiationis B. MARIE Virginis anticipatum erat propter insequentem Dominicam Palmaram) prædictum Schonæum horâ octavâ in templum induxit: non, ut longiùs ibidem commaneret (nam biduo post à suis fautoribus ære non parvo donatus abiit) sed ut unâ alterâve dictione ad plebem habitâ, Religionis heterodoxæ exercitio januam aperiret. Post hunc deinde bini alii aliorum locorum Prædicantes (quorum unus Paderbornæ monasterii Abdinghoffsensis \*desertor erat) pro concione aliquoties dixere; donec postea die 13 Aprilis à duobus perversæ doctrinæ civibus illuc adductus est Caspar Mottæus (dictus aliàs *Motte*, quod linguâ nostrâ suem significat) olim ex Henenbergensi comitatu pulsus, indeque in Hassiam profugus, religiosi cujusdam Ordinis apostata. Hic alterâ statim die in parochialem cathedram intrusus, fœdissimâ concione veteris Ecclesiæ ritus vituperavit, monachorum & monialium connubia dilaudavit, Sanctorum imagines audacissimè reprehendit: ac tandem Kalendis Maji eò stoliditatis & infaniæ venit, ut per hæc verba Christi, *in domo Patris mei mansiones multe sunt*, sibi & aliis novi Evangelii Præconibus à Christo promissum esse diceret, eos nunquam à se temporali subsidio destituendos; & , si ex una civitate vel provincia cum uxore ac liberis ejiciantur, in aliam urbem vel provinciam benignissimè deducendos esse. Quæ carnalis & absurda explicatio tamen ita quibusdam heterodoxis placuit, ut non modò

Exercitium Religionis acatholicæ Truchsesio jubente introductur Werlæ. Kleinfor. in diar. cit. Isfelt l. 2. belli Colon. à pag. 205. Eylinger & alii.

\*Henrici de Statlo-na vocat eum Isfelt pag. 207. Et primus ibidem Prædicans constituitur Caspar Motte apostata Henenbergensis. Kleinfor. ibid.



concionem hanc summopere deprædicaverint; sed etiam eâdem die Truchfessio adhuc absenti, pro obtinenda meliore istius Motæi vel suis alimonia, supplicârint.

Similiter etiâ intro-  
ducitur in  
urbe Gese-  
kenfi.  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

pulso in  
exilium  
Wenero  
Schlaun,  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

Ex urbe Werla Wolmeringhusius, cum prædicto Schonæo, die vicesimâ quintâ Martii processit ad urbem Geseke, novationem Truchfessianam ibi pariter incepturus. Facillimum id erat in loco tali, ubi domicilium & sedem habuit præcipuus novarum partium patronus Joannes Grote, quem sæpe antea civem Gesekensem fuisse dixi. Hic enim perverso consilio suo plurimorum civium ac fenatorum animos jam antè sic dementaverat, ut, etiamsi Confessio Augustana ab iis nunquam visa aut inspecta esset; pro ea tamen sanguinem, vitamque suam fundere, inter decumana pocula constituerint. Quare, cùm Schonæus illuc ab Ottone Wolmeringhusio deductus esset, non solum ab urbe tota magnis lætitiis receptus est; sed etiam ferè omnium oppidanorum aures ad novi Evangelii susceptionem apertas reperit, excepto loci istius Judice Wenero Schlaun: qui & idcirco postmodum à Truchfessio tantis persecutionibus exagitari cœpit, ut postremò solum vertere debuerit, & usque ad ipsius Truchfessii ruinam aliis in terris vitam ærumnosam agere. Ità unius tempestuosi hominis instigatione tota Geseka pessum ivit; & Schonæus post quatuor vel quinque dies cum egregio tricenorum imperialium dono in Hassiam reversus est, impositis ibidem novis concionatoribus Henrico Lindberto, Justo Herboldo, & aliis: qui deinde specioso nomine se appellârunt *Ministros Evangelii JESU Christi in Geseke*, *Diener am Evangelio vom JESU Christo in Geseke*.

Item in ur-  
be Rûda:  
ubi Pastor  
Catholicus  
ab officio  
moveretur,  
iudex urbis  
in carcerem  
conjicitur,  
duo consu-  
les pellun-  
tur in exiliu  
*Kleinsorg.*  
*in diario*  
*hist. Truch-*  
*fes.*

Inde Wolmeringhusius cum prædicto Joanne Grote, machinationum suarum fideli socio, repentè festinavit Rûdam, ut ibidem quoque magistratui & consulibus novi Evangelii Præconem obruderet. Fungebantur id temporis consulari officio Joannes Hartman & Helmigius Lohn: qui, cùm essent viri integerrimè Catholici, & novarum doctrinarum osiores; iniquissimis hujusmodi conatibus audacter se opposuerunt pro Dei gloria. Sed, prò dolor! non sinè magno suorum corporum ac bonorum temporalium detrimento. Cùm enim postea Truchfessius die nonâ Maji ex comitatu Nassoviensi rediret Arensbergam; seditiosi quidam cives, à Wolmeringhusio concitati, ad aulam Principis detulère: *Magistratum Rûdensem obstitisse hæctenus puritati Evangelicæ; se verò et plures alios ejusdem recipiendæ præcupidos esse, idèoque precibus enixis petere, ut eadem ex præscripto Confessionis Augustanæ non minùs Rûda, quàm in aliis Westphaliæ urbibus, locum inveniat.* Quo audito, Truchfessius alterâ statim die\* cum aliquibus militibus Rûdam abiit, severam  
istius



istius causæ disquisitionem instituit, Nicolaum Rhammum urbis judicem in vincula conjecit, prædictos duos consules in exilium egit, pristinum edictum suum de solis Catholicis in senatum adlegendis iterum abolevit: atque, ut alia complura taceam, Religionis antiquæ statum tam iniquè disturbavit, ut Præconibus Lutheranis duo templa majora ad usum assignata sint; sacerdos autem Catholicus cum residuo grege suo ad ædiculam S. Pantaleonis in hospitali reclusus fuerit.

At longè truculentiùs postmodum in Catholicos debacchari cœpit vir invisus Deo; cum Ernestum Bavarum à Coloniensi Capitulo ad Archiepiscopalem infulam, se rejecto, postulatum audit. Nuntium hujus rei accepit Werlis die 25 Maji. Et, quia gravissimum id in corde ejus telum erat; primùm velut homo dolore amens in urbem cucurrit, cives plurimos è suis domibus evocavit, ad œnopolium cum iis abiit, vinum largissimè expromi jussit, bibit, compotavit, inquitens: *jam tandem scio, quis meus adversarius et antagonista sit! vos autem quid agetis pro tuendo me et verbo Dei, quod obtuli vobis?* Tum deinde furorem suum effudit in Catholicos; præsertim verò illos, qui in comitiis Arensbergensibus pro Capitulo Coloniensi & pro tuenda veteri Diœcesanorum Statuum unione fecerant. Ex horum numero bonis omnibus exuti & in exilium acti sunt integerrimæ vitæ & constantissimæ Religionis viri, Everhardus Comes de Solms Westphaliæ totius Archisatrapa\*, Casparus de Fürstenberg consiliarius intimus & satrapa in Billstein, Hermannus ab Hatzfeldt consiliarius provincialis & satrapa in Balve, Joannes de Droste Dominus in Erwite, Joannes Kleinsorge Licentiatius & consiliarius provincialis, Henningius Rhamm Officialis judicii Ecclesiastici in Werl, Antonius Blanckebiel actorum judicialium scriba & Secretarius Arensbergensis, aliique non pauci; qui usque ad ejectionem Truchsesii, non sinè magnis bonorum suorum detrimentis, domo, urbe, & patrio solo, extorres esse coacti sunt.

Pari truculentiâ defævitum est à Truchsesio in urbes illas, quæ in iisdem comitiis provincialium consiliariorum opinioni se consociaverant. In urbe Werla primùm Joanni Gôdden & Gerhardo Brandis, consulibus probè Catholicis, gravissimas insidias adornavit: ità ut etiam prior horum (licèt omni ex parte innocens) totis quatuor septimanis in carcere detentus fuerit. Post hos deinde Pastorem Catholicum Bernardum Tütel, monasterii Weddinghufani Præmonstratensis Ordinis Religiosum, ad sui Ordinis ac Fidei desertionem variis artibus tentari jussit. At, cum & ipse, pro virilibus animi sui fortitudine ac constantia, neque ad ejusmodi apostatiam

Truchsesi?,  
auditâ Ernesti Bavari  
electione,  
velut homo  
insanus per  
urbem currit,  
& mox omnes  
Catholicæ  
Religionis  
Proceres  
expellit.  
Kleinsorg.  
ibid.

\* vulgò  
Land-  
Droste.

Werla Joannem  
Gôdden  
consulem  
Catholicum  
in carcerē  
detrudit,  
Bernardum  
Tütel Ec-  
clesiæ Pa-  
storem, bo-  
nis omnib⁹  
denudatum  
ejicit.  
Kleinsorg.  
ibid.



stasiam, neque ad oblatum sibi matrimonium, induci posset; ab omni Catholica Religionis exercitio prohibitus, rebus omnibus exspoliatus, è Pastoralis curia extrusus, eaque superintendenti heterodoxo traditâ, oves suas deferere compulsus est. Eadem injuriâ pressi fuere istius Ecclesiæ sacerdotes Vicarii, unâ cum duobus ludimagistris Joanne Platenio & Andrea Telen; quorum iste Werlensium scholarum Rector, hic verò Con-Rector erat. Etenim omnes isti, quòd ab Ecclesiæ Romanæ gremio se disjungere, & Augustanæ Confessionis dogmata amplecti nollent; in triste exilium acti, fortunas, reculasque suas in Truchsesii & suorum manibus reliquere. Imò Platenius, quòd aliquantò longius in urbe commansisset, à Truchsesio die 10 Augusti in arcem adduci jussus, & in profundum carcerem detrusus; inde postea in molam pulverariam compactus, & à militibus more Turcico dirissimè cæsus; demum verò post undecim vel duodecim dies è vinculis relaxatus & foras ejectus est, cum hac derisoria exprobratione: *si studiorum causâ Marpurgum aut Rostochium iret, ibique Augustanam Confessionem recepisset; eum huc reverti, et ampliozem suâ promotionem opperiri posse.* Itâ Religio Catholica, tam è templis, quàm è scholis Werlensibus, tandem ejecta est usque in Aprilem anni sequentis; viris interim præcipuis, multisque civibus, ærumnoso illo tempore in antiqua Fide laudatissimè persistentibus.

Similiter & Arensberga, quæ hucusque ab omni Truchsesianarum novationum turbine inconcussa manserat, ei tandem succumbere, novamque doctrinam tolerare magis, quàm acceptare debuit. Recusaverat urbs illa diu concionatores heterodoxos; quos inter Casparus Mottæus, postea concinator & superintendens Werlensis, ibidem frustra à die tricesima Martii, usque ad decimam tertiam Aprilis, vocationem suam à civibus expectaverat. At ubi postmodum Adolphus Comes Nüenarius, Calvinista pessimus, die 3tiâ Junii cum suis copiis è tractu Recklinghusano Arensbergam venit; parochialem Ecclesiam Catholicis prærepturus, invasit illico vicinum urbi monasterium Wedinghusanum Ordinis Præmonstratensis (nam in eo parochiale templum est totius oppidi) Religiosos violenter expulit, cubicula ipsorum evastavit, horrea diffregit, cellas aperuit, annonam exportavit, in Ecclesiam irruit, ornamenta, vasaque sacra diripuit; intèrque alias Divorum reliquias manum dexteram B. Richardi, quondam istius Ecclesiæ Religiosi (quæ ab annis ferè quadringentis incorrupta manserat) itâ vel excussit, vel alio modo pessundedit ac dissipavit, ut ab eo tempore venerandi hujus thesauri nullum ampliùs vestigium potuerit inveniri. Nec multò post, etiam cives omnes è Truchsesii man-

Et Joannē Platenium, scholarum Rectorem, Fidei Catholicæ causâ gravissimè affligit. *Kleinsorg. ibid.*

Arensbergæ monasterium Wedinghusanum occupat. *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Religiosos exturbat. *Kleinsorg. ibid.*



mandato in curiam senatoriam convocati sunt; minisque admodum severis iussi, Confessionis Augustanæ doctrinam (sub cuius pallio Calvinismus tegebatur) in Ecclesiam suam parochialem seu Wedinghusanam recipere. Quod cum ipsi ardentissimè deprecarentur, seseque in antiqua Fide ac simplicitate sua relinqui peterent; iisdem nihilominus omnis Catholicae Religionis cultus penitissimè interdictus, & *Joannes Urbani* Calvinianus Præco in Arensbergensis Ecclesiae regimen intrusus est: magno quidem prædicti monasterii & Religiosorum exultantium damno; sed exiguo tamen orthodoxæ Religionis detrimento. Nam (quod ad æternam Arensbergensium commendationem & gloriam scribit *Kleinsorgius*) viri omnes, feminæque istius urbis, inter innumeras novationum Truchsesianarum pressuras, tam ardentè in Fide Catholica persistere, ut toto illo tempore, quo avitæ Religionis exercitium indè proscriptum fuit, non nisi quatuor aut quinque homines ad Evangelii novi doctrinam transfugerint.

Arensbergâ Truchsesius cum prædicto Comite Nüenario, ejusdemque prædatorio milite, profectus est in satrapiam Bilsteinianam. Et quia hæc à pluribus annis oppignerata erat Perillustri Domino Casparo de Fürstenberg, viro admodum Catholico, ac modernarum novationum inimico: non modò arcem istius nominis unà cum omnibus bonis ac proventibus Fürstenbergicis violentâ manu occupavit; sed etiam satrapiam totam, ejusque oppida, Attendornam, Olpam, ac Drolshagam, multando, exigendo, rapiendo, abducendo, comessando, occidendo, & incendendo sic oppressit, ut etiam corda faxea ad commiserationem aliquam permoveri posse viderentur. Quod autem in hujusmodi malis luctuosissimum erat; urbs Attendorna, hucusque semper constantissima, in hoc assultu Catholicam Fidem deseruit: non tam suo vel suorum civium & incolarum vitio; quàm eorum, qui animarum curæ & conservandæ earum saluti præerant. Pastorem agebat illic *Wilhelmus Tütel*, *Bernardo Tütelio Werlensium Pastori* (quem supra memini) in vita & moribus longè dissimilis. Hic, ubi Truchsesius è castro Bilsteiniano Attendornam venit, ejusdem hortatu & comminationibus non modò perperam se induci passus est, ut concubinam suam, quam deamabat, sacrilego matrimonio sibi conjungeret; verùm etiam eo insanix ac temeritatis repente proruit, ut Catholicam Religionem, cui hæctenus adhæserat, ex ambone publico criminaretur & condemnaret. Idem pariter fecere tres alii ejusdem Ecclesiae sacerdotes Vicarii: pessimique Pastoris sui exemplo maluerunt omnes, desertâ patrum suorum Fide uxorem ducere; quàm illâ retentâ, bonorum temporalium jacturam

Civibus exercitium facrorum Catholicorum prohibet,

Et Præconè Calvinianū obtrudit, *Kleinsorg. ibid.*

paucis tamè ab antiqua Fide recedentibus. *Kleinsorg. ibid.*

Satrapiam bilsteinianâ invadit,

Attendornâ urbem à Religione Catholica abstrahit, *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.* Et Pastore cum tribus Vicariis ad matrimonium ineundum adigit. *Kleinsorg. ibid.*



ram & exilium ferre. Quae de re Truchsesius eum in modum gavisus est, ut non modò hunc diem inter crateres & pocula genialem egerit; sed etiam serâ nocte sapius cum Agnete conjugè sua per cœmeterium, forûmque publicum jucundè saltitaverit, inter obscœnissimos cantus, à metallariis fossoribus adornatos.

In aliis quoque oppidis ac pagis Pastores orthodoxos ejicit, & missam celebrari prohibet, Sic etiam in Erwite, in Stôrmede, in Miste, in Anrôchte, in Kaldenhart, omnibusque aliis in pagis & oppidis, Pastores Catholici vel ad apostasiam adacti, vel è suis parochiis exclusi, & blateronibus heterodoxis locum dare compulsi sunt. Operari verò ad aram, & celebrari sacrificium ritu Catholico, tam severè prohibitum erat à Truchsesio, ut etiam rusticos alicubi instigârît ad occidendos omnes, qui *Missam* facerent vel audirent. Dicebat enim more aliorum hæreticorum, *hanc esse maximam idololatriam, quòd in ea divinus honor tribuatur creaturæ*; quasi verò Christus, qui ibidem adoratur à Catholicis, non esset Deus; sed creatura. Neque hic erat finis malorum, quæ Præsul Deo perfidus egit in Westphalia. Nam à sacerdotum Catholicorum ejectione processit illico ad iconomachiam, & ejusmodi sacrilegia, quæ non solum cuilibet homini probo; sed etiam trifuri perditissimo horrorem incuterent. Præter violationes Ecclesiarum, everfiones altarium, confractio-nes imaginum, disturbanceiones monasteriorum (quibus eo tempore nihil communius fuit) vasa omnia Deo sacra, calices, hierothecas, cruces aureas vel argenteas, ciboria, monilia, & quidquid ornatuum pretiosorum erat, ubicumque potuit, è templis abstulit; atque ad alendos milites in monetam converti jussit cum hac inscriptione, sibi met ipsi maximè ominosa: *tandem bona causa triumphat*. In cœmeterio Werlensi crucifixi imaginem, eleganter & affabre elaboratam videns, cum ingenti blasphemia dixit vicino militi: *amabo te! huic imagini gladium tuum intorque; et, si tunc emittat sanguinem, illum adfer ad me!* In Ecclesia Meschedensi duo iconoclastæ, ab eo missi, nihilo mitiùs, quàm sceleratissimi judæi soleant, venerabile sacramentum & argenteam crucifixi Domini effigiem sacrilegis pedibus obtriverunt. Cùmque unus è Canonicis loci istius ironicè ad furibundos \* diceret: *quaso! ne hac pedum vestrorum impressione crucifixo Domino cruciatum vel dolorem inferte!* propter hæc verba in carcerem abstrahendus, & in vinculis ad Truchsesium adducendus erat, nisi amici ejus magnis precibus & viginti dalerorum Imperialium multâ supplicium imminens deprecati fuissent. In templo Bûricensi haud procul ab urbe Werla Caspar Mottæus Prædicans, post effractas, comminutâsque Divorum statuas, involavit in repositorium \* sanctissimi sacramenti, pretiosam ejus hierothecam exemit, vitrum ei circumpositum excusit, hostiam

In aliis

quoque ops-  
pidis ac pa-  
gis Pastores  
orthodoxos  
ejicit, &  
missam ces-  
lebrari pro-  
hibet,

Altaria &  
imagines  
sanctorum  
dejicit,  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

sacra tem-  
plorum va-  
sa in mone-  
tam cons-  
vertit,  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

imaginem  
crucifixi  
sceleratimè  
tractat,  
*Kleinsorg.*  
*ibid.*

*Kleinsorg.*  
*ad diem 10.*  
*Augusti.*  
& sanctissi-  
mum sacra-  
mentum  
barbarum  
in modum  
profanari  
facit.  
*\*Kleinsorg.*  
*ad diem 2.*  
*Augusti.*



hostiamque consecratam humi fudit, & à Capellano vel coopera-  
tore suo Gregorio \*Nonnenpater, apostata Paderbornensi, impiis-  
simè proculcari fecit, adjectis hîsce verbis, ex ore judaico magis,  
quàm Christiano profluentibus: *Ecce, hic est \*Deus Papistarum!* \*Isfeli l. 3.  
*ostendat nunc, si quid possit ac valeat: credo etiam, si adfuisset Judæis* belli Colon.  
Dominum crucifigentibus, dixisset pariter cum illis: *si Rex Israël* pag. 289.  
*est, descendat nunc de cruce; et credimus ei!*

Narravi hæc paulò fusiùs, quia diarium Kleinsorgii, rerum  
illarum testis oculati, in manibus paucorum est; nec adhuc appa-  
ret propinqua spes, ut per typum publicum erudito orbi commu-  
nicetur. Interea Truchsesii res in partibus trans-Rhenanis quo-  
tidie magis retroibant; quòd columnæ præcipuæ, quibus frau-  
dem atque malitiam suam suffulcire conatus fuerat, Deo fortiùs  
impellente paulatim caderent. Prima istarum columnarum fue-  
rat Franciscus Alenfonius Regis Galliarum frater; in quo Truch-  
sesius, à suarum novationum initio, potissimam auxilii & sub-  
sidiorum accipiendorum spem collocaverat, uti refert coævus au-  
ctor Michaël ab Isfelt. Sed hujus auxiliariam potestatem, ut su-  
prà vidimus, fortuna sequior jam retroegerat: & aliæ Francorum  
copiæ, fortè ex ejusdem Alenfonii reliquiis missæ, propter ingen-  
tes, quas agebant prædas, in Trevirensium finibus ita excepti erant  
ab offenso Duce Lotharingico, ut omnes vel ab eo cæsi, vel in fu-  
gam acti, vel condigno prædatorum supplicio in furcam abrepti,  
suspensique fuerint. Altera Truchsesii columna vel Atlas erat Lu-  
dovicus Elector Palatinus; & frater ejus Joannes Casimirus, homo  
semper inquietus, & bello ciendo magis quàm conficiendo ido-  
neus. Prior horum stabat mordicus pro Truchsesio; & adhuc re-  
center Ordines Augustanæ Confessioni deditos conscripserat, ut  
ipsius tutandæ causâ in diem vicesimam octavam Octobris Mülhu-  
si convenirent. Sed hanc diem prohibente Deo non aspexit, &  
fato celeriore ad loca mortuorum abiit, extinctus Heidelbergæ die  
duodecimâ Octobris. Posterior verò Joannes Casimirus, tamer-  
demum adulto sextili mense cum pluribus armatorum copiis Bon-  
nam advenerit (quò etiam Truchsesius eum protinus è Ducatu  
Westphaliæ secutus est) post bimestrem & infructuosam expedi-  
tionem die 16 Octobris famelicum exercitum suum rursus dimisit;  
quòd & commeatus deficeret, & stipendiorum inopia non levare-  
tur, & multi insuper ex ejus ducibus, iteratâ Rudolphi Cæsaris  
avocatione ac proscriptione territi, ab armis abstinere decrevissent.

Inopinus hic eventus acerbum, durissimùmque vulnus erat in  
corde Truchsesii, humanis auxiliis jam propè destituti. Neque  
tamen infelix Præsul adhuc destitit insanire ac furere, donec supre-

Rrr

mum

\*Klockner.  
in hist. Pa-  
derb.\*Isfelt l. 3.  
belli Colon.  
pag. 289.In partibus  
Rhenanis  
Truchsesii  
fortuna re-  
tro cedit,  
pulsò Alen-  
fonio, cæ-  
sisque  
Gallorum  
auxiliis.Ludovicus  
Elector Pa-  
latinus, post  
Alenfonii  
præcipuus  
Truchsesii  
fautor, è  
vivisevo  
catur.Isfelt l. 3.  
pag. 378.  
Kleinsorg.  
ibid.Joannes  
Casimirus,  
ejusdem  
frater, nullâ  
re feliciter  
gestâ, in  
Palatinatû  
revertitur.  
Auctores  
iidem.Legati se-  
ptemvirorû  
in causa  
Truchsesii



conveniunt  
Francofurti  
Isfelt l. 3.  
belli Colon.  
pag. 368.

Oratorum  
truchsesia-  
norum po-  
stulata.  
Isfelt ibid.  
pag. 369.

Oratorum  
Ernestiano-  
rum re-  
sponsa, qui-  
bus osten-  
debant,  
Truchsesiū  
Archiepi-  
scopatu suo  
excidisse.  
Isfelt loc.  
cit. à pag.  
369.  
Eyzinger  
in hist.  
Truchf.

num & fatalem ictum rursus acciperet in conventu Francofurtensi; qui à Rudolpho Cæsare ad agnoscendam Truchsesii causam institutus, & ineunte Octobri inchoatus erat. Convenerant ibi præter aliorum septemvirum Legatos, constituti ambarum partium Oratores: nimirum ex parte Gebhardi Truchsesii Otto de Wolmeringhausen, & Doctor Jacobus Schwartzius, ambo maximi Westphalicorum tumultuum folles; ex parte verò Ernesti Bavari Salentinus Comes de Isenburg quondam Coloniensis Archiepiscopus, Godefridus Gropperus Majoris Ecclesiæ Canonicus, Casparus de Fürstenberg Satrapa in Bilsstein, Doctor Franciscus Burchardt Cancellarius, & quidam alii. Utriusque partis Oratores alternatim auditi sunt à Legatis Principum. Et primò quidem Truchsesiani, die 10 Octobris, rem suam hoc modo proposuere: *Truchsesium à tempore suæ electionis et confirmationis per plures annos jam exstitisse in legitima et quieta possessione Diœcesis Coloniensis: atque ideo in hac contentione ac dissidio, adhuc nuperrimè in eum suscitato, primum oportere, ut in antiquam totius Diœcesis et omnium ab Ernesto occupatorum possessionem restituatur; ac tunc demum ipsius causa legitime discutatur in tribunali Cæsaris et septemvirum, quorum sententiæ et arbitrio tunc etiam obedientissimè se submittere teneatur ac velit.* Animadvertabant facillè Oratores Ernestiani, quorsum illa Truchsesii restitutio tenderet: nimirum ut hac obtentâ novis interim amicitiiis ac foederibus rem afflictam stabiliret. Quare statim sequenti die in congressu publico responderunt: *petitioni ac restitutioni huic tantummodo locum esse in jure utrimque dubio; non autem, quando certum et sole clarius est, reum omni jure suo et legitimâ possessione, quam habuerat, excidisse, uti nunc evenit in Truchsesio. Quòd enim hic amiserit omne jus ad infulam, ideoque et Capitulum Coloniense non solum potuerit, sed etiam debuerit procedere ad electionem novi Antistitis; id sole clarius elucere ex pace Augustana, vulgò Religions-Friede / cujus verba sunt S. und nach dem:* *Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Prælatus, aut alius Ordinis Ecclesiastici, à Religione veteri deficiat; is continuo sine omni repugnantia et cunctatione decedat à suo Archiepiscopatu, Episcopatu, Prælatura, et aliis beneficiis, unâque simul omnibus fructibus ac proventibus, quos inde habuit: Capitulis etiam atque iis, ad quos de jure vel consuetudine pertinet, omnino integrum, licitumque sit, ejus loco personam aliam Religionis antiquæ deditam eligere vel constituere; quæ et in omnibus eò pertinentibus juribus ac bonis, mobilibus et immobilibus, quietè et imperturbatè relinqui debet.* Neque adversus limpidissima hæc verba novas aliquas commentationes et explicationes alienas admitti vel audiri posse. Id enim sinceritati pacis quàm plurimum repugnare; et, ne à quoquam secuturis temporibus fieret, in eadem pace (S. und soll alles) prudentissimè cautum esse



esse per hæc verba: *Et contra hunc statum pacis nulla declaratio, vel quidquam aliud, quod eundem impedire vel alterare posset, dari, obtineri, vel admitti debet; aut si quid tale datum, obtentum, vel admissum foret, nullius tamen valoris et efficacitatis esse, neque juxta illud in-velextra-judicium agi aut pronuntiari debet.* *Quæ cum ita sint, Ernestum re-*

*cedens electum justè ac meritò à septemvirali collegio postulare, ut, si pacem Augustanam sanctè et integre custoditam velint, à Truchsesio manum abstrahant; et eundem non aliter, quàm ut Principem legitime exauguratum, habeant: contra verò sibi, ut legitime suffecto, manum amicam por-*

*rigant, et adversùs omnes Truchsesii molitiones auxilium ferant.* His deinde iidem Oratores Ernestiani subjungebant omnia Truchsesii apostatantis maleficia: quomodo fidem, in electione, confirmatione, & sacerdotio suscepto præstitam, nefariè violaverit? Quomodo juramentum suum de observandis omnibus, in antiqua Statutum provincialium unione comprehensis, iniquissimè fregerit? Quomodo in comitiis Arensbergensibus, contra Ordinum plerorumque voluntatem, sinè lege omnia per tumultum ac feditionem paucorum egerit? Quomodo contra pacis Augustanæ decreta subditos suos ad exuendam Religionem veterem violentissimè compulerit, extraneos Prædicatores in Westphalam evocârît, Pastores Catholicos ejecerit, Romanæ doctrinæ exercitium interdixerit, monasteria virorum ac feminarum disturbaverit, novationi huic repugnantes in exilium amandaverit, imagines crucifixi Domini gladiis impiorum perforaverit, sacramentum Eucharistiæ sacrilegis ministrorum suorum pedibus proculcaverit, & alia complura fecerit, quæ nec ab ipsis Augustanæ Confessionis Principibus approbari vel tolerari queant?

His auditis, omnes Principum septemvirorum Legati (Palatino solùm excepto) unanimi suffragio censuere, *Ernesti causam omni ex parte justam; Truchsesii verò iniquam, et Augustanæ paci è diametro adversantem esse: ideòque et illum in Electorali solio relinqui; hunc verò ab eodem ejici ac depelli oportere.* Belli tamen evitandæ causâ, atque ad impediendam provinciarum evastationem, putabant aliqui ex æquo & bono fore, ut eidem in singulos vitæ annos assignetur aliqua nummorum pensio, quâ se, suamque conjugem tenuiore victu commodius aleret. Sed hæc offa Truchsesio, uxorem & infulam retinere cupido, nequaquam sapuit. Post quatuor ferè septimanas (tam diu siquidem non sinè magna ceterorum indignatione responsum à se petatum distulit) Legati ejus tandem die 6<sup>tâ</sup> Novembris redeunt, alteroque mane in pleno conventu referunt: *Truchsesium neque velle neque posse ab Archiepiscopatu suo desistere, tum quòd egregia vicinorum Principum, Comitumve auxilia ad manum ha-*

Cetera  
Truchsesii  
scelerata ab  
iisdem  
enarrantur.  
Auctores  
iidem.

Legati ses-  
ptemvirorū  
sententiam  
ferunt pro  
Ernesto  
Bavaro:  
Isfeld l. 3.  
belli Colon.  
pag. 384.  
Belli tamen  
evitandæ  
causâ  
Truchsesio  
offerunt  
pensionem  
annuam.  
Isfeld ibid.  
Quam cum  
ille recusa-  
ret;



beat; tum quòd in Ducatu Westphalia, Ordines omnes juratò rursus ap-  
promiserint, se eidem constanter adhesuros, et usque ad extremum san-  
guinem adstuturos esse. Non ignorabant Oratores Ernestiani, quã  
vi ac fraude ab Ordinibus patriæ extorta esset hæc promissio. Jam  
enim consules & senatores Arensbergenses pridie Kalendas No-  
vembres non unis literis Ernestum edocuerant, se ad hujusmodi  
promissa, contra voluntatem, conscientiam, & intentionem suam,  
gravissimis terroribus adactos fuisse: multòque sibi gratius fore,  
si Ernestus veniat; patriamque, intolerandis contributionibus &  
ærumnis diu pressam, à jugo tandem Truchsesiano liberet. Quæ  
omnia cum ad Electoralis collegii Legatos perferrentur; commu-  
ni rursus consilio declarant, *Truchsesii machinationes Augustana pa-  
ci contrarias esse, in ejus præjudicium vel eversionem nihil agi vel permit-  
ti oportere, Ernestum Bavarum jure maximo ad Coloniensem insulam per-  
venisse, adeoque et ei licitissimum fore, ut in Truchsesium decedere nolen-  
tem agat, illatòque bello eundem omnibus à se possessis urbibus, castris, at-  
que provinciis, quàm primum exuat ac depellat.* Ità demùm huic Fran-  
cofurtensi Principum conventui die 16 Novembris (stylo vetere)  
finis impositus est: nec multò post etiam acerrimus ille Truchse-  
sianarum partium Promotor & Legatus, Doctor Jacobus Schwarz-  
tzius, repentino fato finè omni vocis & mentis usura mortuus, vi-  
vere simul & Coloniensem rempublicam turbare desit.

Legati se-  
premviros  
ab eo manū  
abstrahunt  
& conven-  
tui finem  
imponunt.  
*Iselt ibid.  
pag. 406.*

schwartzii  
repentinus  
obitus.  
*Kleinsorg.  
in diario  
hist. Truch-  
ses.*

Ernestus  
Archiep.  
Colonien.  
ineunte  
Novembri  
apud suos  
introducitur  
Calendarium  
gregorianum.  
*Iselt l. 4.  
belli Colon.  
& Ferdi-  
nandum  
fratrem suum  
constituit  
supremum  
belli Præ-  
fectum.  
Iselt l. 3.  
pag. 394.  
Qui occu-  
pato prius  
Poppels-  
dorffio &  
Godesbergâ  
Iselt l. 4.  
pag. 408.*

Interea Ernestus ineunte Novembri Calendarium Gregoria-  
num à suis recipi; omisissisque decem diebus, pro die tertia No-  
vembris continuò diem decimam tertiam signari jusserat: Ferdi-  
nando autem fratri suo, qui ad ipsum adjuvandum è Ducatu Ba-  
variæ venerat, supremam totius militiæ præfecturam demandarat.  
Videbat hic statim primas belli cogitationes advertendas esse ad ex-  
pugnationem Bonnæ. Hæc enim præcipuum Truchsesii muni-  
mentum erat in ditione trans-Rhenana: ceteræ autem urbes &  
oppida (putà Novesium, Antenacum, Lintzium, Brüla, Cæsa-  
ris Werda, & alia non pauca) vel à Friderico Saxone Colonien-  
si Chorepiscopo ad obsequium reducta; vel à Salentino Isenburgico,  
olim Archiepiscopo, in Fide novi Principis conservata erant.  
Eam igitur ut subigeret, initium bellandi fecit à vicina arce Pop-  
pelsdorffien- si: quam admotis castris eum in modum pressit, ut die  
quartâ Novembris (quæ recepto jam stylo novo, decima quarta  
Novembris erat) in Ernesti fratris potestatem venerit. Inde, ac-  
ceptis è Bavaria quater mille armatorum auxiliis, post moram ali-  
quam se convertit ad arcem Godesbergam, uno circiter milliari à  
Bonna distitam, & in monte admodum excelfo positam. Resi-  
stebat illa quidem paulò diutiùs: cuniculis tamen infra eam actis,  
mar-



martioque pulvere displofis domita, per ingentes mœnium ruinas  
 \*tandem victores Bavaros admittere, seseque in obsequium novi  
 Principis inclinare debuit. Tum verò Bonna, quæ jam eminus  
 incingi & circumvallari cœperat, vehementer à bello vicino tre-  
 mere: tum Carolus Truchsesius Gebhardi frater, cui imperium  
 ac tutamen urbis commissum fuerat, pavore non parvo concuti-  
 tum denique totus exercitus, numerato stipendio ac triduanis lau-  
 titiis recreatus, ad urbem arctiùs includendam promoveri, eamq;  
 omni ex parte sic affligere, ut intrà paucas hebdomades Ferdinan-  
 do Duci herbam porrigere, & Ernesti fortunam adorare coacta  
 fuerit; quemadmodum sequenti anno prolixius ostendetur.

Ceterùm in his tumultibus Truchsesianis non solùm Ducatus  
 Westphaliæ; sed etiam Paderbornensis Diœcesis nostra non parùm  
 periculi ac detrimentorum tulit. Initio præsentis anni, cùm Henri-  
 cus Ecclesiæ nostræ Administrator ad comitia, contra Gebhardum  
 Truchsesium indicta, Coloniam proficisceretur (nam & ipse Me-  
 tropolitanae Colonienfis Canonicus erat) inter alios Aulae Proce-  
 res unà secum adduxit illuc Philippum \*Comitem de Pymont,  
 Simonis Comitis Lippiensis patrualem. Sed, quia Princeps ma-  
 jori equitum ac virorum Nobilium numero stipatus erat, quàm à  
 senatu \*Colonienfi in hac temporum habitudine permetteretur;  
 etiam Philippus Comes cum equitibus non paucis Tuitium recede-  
 re, ibique diverforium capere necessitate cogente debuit. Fera-  
 lis admodum hic locus fuit bono Comiti, nondum annos tres &  
 viginti nato, nec adhuc matrimonii vinculis adstricto. Repente  
 enim hîc in mörbum fatalem incidens, die undecimâ Februarii\* in  
 primo ætatis flore extinctus est: suoque obitu præmaturo sic affe-  
 cit matrem suam Ursulam Pymontanam, omni jam prole vacu-  
 am; ut & ipsa mœrore nimio contabescens, die sextâ Martii\* in  
 viam æternitatis consecuta fuerit. Inde rursus exortæ sunt novæ  
 contentiones feudales inter Ecclesiam nostram Paderbornensem,  
 & inter Philippum Ernestum Comitem Gleichensem, ejusque fra-  
 tres ex Walburga, Ursulæ Pymontanæ sorore, genitos. Præte-  
 xebant hi, matrem suam beneficiariæ successionis \*non minùs ca-  
 pacem fuisse; ac sororem ipsius Ursulam, Philippi defuncti ma-  
 trem (quam putabant feminino titulo successisse) eoque nomi-  
 ne sibi statim à consiliariis ac ministris, qui ibidem erant, Pyr-  
 montanæ arcis possessionem tradi impetraverant. Contrà verò  
 Paderbornensis Ecclesiæ Canonici \*Henricum Administratorem  
 suum assiduis impulsibus hortabantur, ut armatâ manu Pymon-  
 tanam arcem recuperet: Philippi enim Comitis jam defuncti pa-  
 trem ad Pymontani Comitatus adeptionem non pervenisse ex hæ-  
 redi-

\*die 17.  
 Decembris  
 stylo novo.  
 Bonnam  
 arctissimâ  
 obsidione  
 incingit.  
 Isfelt ibid.  
 pag. 417.

Mortuo  
 Philippo  
 Comite  
 Pymonta-  
 no consur-  
 gunt novæ  
 controver-  
 siæ inter  
 Ecclesiam  
 Paderborn.  
 & Comites  
 de Gleichen  
 \*Piderit.  
 in chron.  
 Lippiensi  
 pag. 464.  
 \*Isfelt l. 2.  
 belli Colon.  
 pag. 117.

\*Piderit.  
 ib. p. 465.

\*Piderit.  
 loc. cit.  
 Arx Pyr-  
 montana  
 Comiti  
 Gleichenfi  
 traditur à  
 Ministris  
 defuncti  
 Comitis.  
 \*Piderit.  
 pag. 466.

\*Hamelm.  
 in chron.  
 Oldenb.



reditaria successione suæ uxoris Ursulæ; sed ex nova gratia, & eâ quidem lege, ut beneficiaria\* concessio masculinam ejus progeniem non excederet. Quapropter Henricus Administrator, ut in favorem Ecclesiæ suæ videretur aliquid præstitisse, mense tandem Septembris supra dictam arcem obsidere coepit: sed ita languidè & oscitanter, ut simulatè magis, quàm serio bellum gerere; & magis ad arcem pertentandam, quàm ad eam expugnandam & subigendam advenisse videretur. Præterquam enim quòd, Hamelmanno teste, haberet solùm quingentos milites; iisdem vix adhibitis iterum abscessit: eo quidem prætextu, ut Cæsareis avocatoriis morem gereret, & causam istam Spirensis Cameræ judicio committeret; re verâ tamen, quòd Lutherano Comiti magis faveret, omnémque militiam suam defendendo potius Truchfessio, quàm augendo Episcopatu suo consecrare vellet. Id enim haud obscure colligitur ex ejus literis, eodem ferè tempore datis\* ad Ottonem Wolmeringhusium, cui ex oppido nostro Dringenbergenfi, die 3. Octobris in hunc modum respondit: *singulari cum voluptate accipimus, quòd fideles Ordines Ducatus Westphaliæ Domino Archiepiscopo et Electori suo tam constanter adhaerescant, eidemque debita auxilia pro suis viribus tam promptè et expeditè præstent. Unde etiam non ambigimus, quin misericors et fidelis Deus per suam gratiam effecturus sit, ut ea causa ex illorum voto felicem exitum sortiatur. — Neque etiam, ut opinor, ab Electoribus, Principibus, aliisque Statibus Religionis nostræ addictis deserentur: et, quod ad nostram personam attinet, quidquid ipsorum causâ præstare valuerimus, id à nobis desiderari non patiemur; pro ut etiam ratione obligationis nostræ, quâ veluti Capitularis Coloniensis ad hanc Archidiecesin afficimur, ad id præstandum obstrictos nos esse agnoscimus.* Ecce! qui ob avocatorias Rudolphi Cæsaris fingebat se desistere ab oppugnatione Pymontana; iisdem spretis ac vilipensis, tueri non desinit causam Truchfessii! Quomodo igitur in rebus antè dictis excusari poterit à commissa fraude?

At longè pejùs versipellis ille Truchfessii fautor Dicecesi nostræ nocere studuit in comitiis provincialibus, hoc anno habitis. Erat ipsi dolori maximo, in Ecclesiæ Cathedralis collegio reperiri adhuc viros tam multos, qui non modò Catholicam Religionem colerent; sed etiam ardentissimè tuerentur ac propugnarent. Hos igitur ut paulatim ex æde summa emoveret; nescio quibus adjutoribus, vel quo hominum improborum adminiculo, in comitiis publicis id efficere nisus est, ut Canonici juniores Catholicam Fidem ejurerent, nec in posterum alii ad Ecclesiæ Majoris gremium admitterentur, quàm qui Luthero vel Calvino se addicerent. Exhorruerunt ad insolentem hujusmodi propositionem boni omnes. Cùmque adhuc

\*Vide dicta ad an. 1569.

Henricus Administrator.

Paderborn.

valde oscitanter Pymontum

obsidet, ac brevi post iterum ab eo recedit.

Hamelmann.

pag. 437.

magis enim cupiebat adhibere

militiam

pro Truchfessio, quàm

contra Pymontum.

\*Kleinsorg. in diario

hist. Truchfess. in adj.

sub lit. I.

Conatur etiam Paderbornæ

juniores

Canonicos adigere ad

amplexum Confessionis

Augustanæ; sed

reprimuntur efficacissimè.

Hist. Collegii. S. J.

Paderb.



adhuc ampliùs id urgeret homo pessimus & Administratoris nomine indignissimus; non solùm & unanimiter & constantissimè in faciem restiterunt; sed etiam variis comminationibus à Truchsessii periculo ductis eundem adegère, ut concionatores heterodoxos, qui ipsius conniventia Paderbornam subintraverant, à se rursus ejectum iri compromitteret. Id quod tamen postea ab eo maximè neglectum est.

Aliam subinde chordam tentare cœpit in ejiciendis Patribus Jesuitis, qui jam ab annis quatuor Paderbornæ sedem fixerant. Duo ex illis fungebantur officio concionatorum in æde summa; & alii duo juventutem instruebant in scholis humanioribus, eaque ratione simul docilibus puerorum animis doctrinam Catholicam unà cum literis instillabant. Quod cum agerrimè ferret Henricus Administrator; die vigesimâ octavâ Novembris misit aliquos è suis consiliariis heterodoxis, qui ad Ecclesiæ Cathedralis Capitulum accederent, & cum eo de prædictis Jesuitis, tam ab urbe, quàm à gymnasio dimovendis agerent. Sed hæc petitio, quemadmodum citra omnium Canonicorum expectationem proponi cœpit; ita etiam ab iisdem responso minùs expectato protinus repulsa est. Inquiebant enim: *si prædicti Patres ab urbe et scholis amoveri debeant, id vel agendum erit ob eorum improbitatem, vel certè ob imperitiam literaturæ, tam sacræ, quàm profanæ. De improbitate et vita impia nemo hæctenus auditus est; qui illos arguat; et, si quis arguere vellet, sufficientem hujus rei probationem adducere necessum foret. De imperitia quoque nihil est, quod alicui de nobis constet: ac, si quis vestrum ea de re dubitet, vos ipsi de ipsorum eruditione periculum facite; aut in præsentia nostra cum iis in literarum certamen descendite!* Quo responso accepto, cum hanc aleam subire nollent, verecundo cum silentio & confusione tacita de Capitulari curia recessère.

Laudatissimum hunc majoris Capituli zelum pro suis viribus æmulata sunt pariter nonnulla nostræ Diocesis monasteria; quibus itidem periculosis hæc temporibus maximopere cordi fuit, antiquam Fidem Romano-Catholicam in pagis & oppidis, jurisdictioni suæ subditis, inviolatam & integram conservare. Laudem planè singularem hac in re meretur monasterium oppidi Wilbadensis, virginum religiosarum Ordinis S. Benedicti. Cum enim hoc anno ibidem consultaretur de condenda nova regiminis oppidani forma vel ejus emendatione; inter alia speciatim constitutum est jussu Abbatissæ & Præpositi: *ut ad informandam juventutem deligatur persona idonea et probata fidei: ut singulis diebus Deo sacris pueri ac puellæ catechismum publicè in templo recitent: ut oppidanorum quilibet iisdem diebus pueros ac domesticos suos ad explicationem catechesis mittat:*

Studet insuper Patres Societatis Jesu Paderbornæ à scholis & urbe amovere; sed Capitulum Cathedralis etiam hac in re unanimitè eidè resistit. *Hist. Collegii S. J. Paderbornæ.*

Abbatissa & Præpositus Wilbadensis magnopere fatigantur novis doctrinæ ab oppido suo prohibere. *Littere antiquæ monasterii Wilbadensis de aõ 1583.*



ac demique ut ejusdem loci Pastor sollicitè ac diligenter advigilet, ne in eadem explicatione catechetica doceatur quicquam aliud, quàm quod antiqua Fidei Catholicae prorsus consentaneum et conforme sit etc.

## Annus Christi 1584.

GREGORII XIII. Pontificis 12. & 13.  
 RUDOLPHI II. Imperat. 8. & 9.  
 HENRICI Admin. Pad. 7. & 8.

Gregorius  
 Papa Capitu-  
 lum &  
 Canonicos  
 majoris Ec-  
 clesiae Pa-  
 derbornen-  
 sis adhor-  
 tatur, ut  
 strenuè  
 pergant re-  
 sistere Epi-  
 scopo Lu-  
 therano, &  
 Societatis  
 Jesu Patres  
 apud se  
 retinere;  
*Literæ Ca-  
 thedr. Ec-  
 cles. Pad.*

Literæ Gre-  
 gorii XIII.  
 ea de re.



Udièrat jam Roma plurimis optimorum pariter ac gravissimorum virorum testimoniis, quantum Paderbornensis Ecclesia nostra sub hæretico Administratore suo hæctenus perpeffa fuerit. Audièrat, quàm nefariè corruptissimus hic Pseudo-Episcopus ante annum laboraverit in pervertendis Canonicis junioribus, & ejicienda Societate JESU; in utroque tamen conatu illo tantâ animi fortitudine & constantiâ ei restitum sit ab Ecclesiæ Majoris Capitulo, ut, nisi peiora experiri vellet, ab iniquis hujusmodi molitionibus debuerit abstinere. Id verò cum summopere placeret Gregorio XIII. Pontifici verè sanctissimo, non solum toti Capitulo de tam egregio Religionis conservandæ zelo gratulatus est; sed etiam omni cum amore ac benevolentia monuit, ne Societatis JESU Patres, velut Sedi Apostolicæ fidelissimos, in his periculis ab urbe ejici aut à se divelli fineret. Ecce hîc ejus literas, omni humanitate & affectu plenissimas!

*Gregorius XIII. Papa Dilectis filiis Canonicis,  
 et Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis.*

**D**ilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Optimorum, gravissimorumque virorum testimoniis celebratur vestra virtus et zelus Dei gloriæ, in instituenta Ecclesiæ vestræ, Catholicæque Religionis dignitate. Volumus igitur has literas testes esse nostræ erga vos voluntatis. Dolemus, vos ab hæretico isto, Pastore tantum nomine, re autem lupi, assidue vexari. Sed gratulamur simul virtuti vestræ, quòd ejus impetus fortiter sustinetis, injuriæque resistitis: quòdque illius perversitatem, virtutis exercenda, ampliorumque indies à divina bonitate premiorum promerendorum, materiam esse ducitis. Sic par est agere seruos Christi! quòd gravius oppugnantur, eò acrius obsistere; neque illius causam deserere, neque in illius gloria, optimisque institutis tuendis, Sathanæ, ejusque ministrorum furori in oppugnandis cedere! Accepimus etiam, illum conari sacerdotes sodalitatibus JESU istinc ejicere; vos autem, fructuosos eorum labores expertos, repugnare. Pergite per eundem ipsum Christum, cujus causa



causa illos vobis commendat, virtutem et pietatem fluctibus istis à Sathana excitatis opponere; neque illos obrui finite! Hos, ut vos in corde habemus. Sic vestros assiduos labores ejus bonitati offerimus, omnemque ab eo felicitatem vobis precamur. Si quid autem auctoritate atque operâ, vestri causâ, efficere nos posse existimatis, certiores nos facite: erunt à nobis omnia paternæ caritatis officia semper vobis paratissima. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI. Februarii, MDLXXXIV, Pontificatus nostri anno XII.

Mirificè animata sunt omnium Canonicorum corda, cum primùm hujusmodi literas, tam paternis adhortationibus & solatiis refertas, attentis oculis inspexere. At cheu! prius quàm illæ ad Paderæ fontes perferrentur; novi rursus tumultus, nova Religionis turbamenta, in Dioecesim nostram se infuderant ex vicino Ducatu Westphaliæ, Truchsesianis motibus miserrimè discerpto. Nam ut illic ante annum; sic etiam ineunte hoc anno Paderbornæ, & in aliis locis Ducatus Westphaliæ proximis, vesana plebs Truchsesianorum exemplo cœpit in Ecclesias parochiales ruere, altarium ornamenta diripere, sacerdotales tunicas auferre, calices divinis mysteriis consecratos diffringere, Divorum reliquias de sacris hierothecis extrahere, in terram fundere, pedibus obterere, contundere, & proculcare. Quin & aliqui, facto agmine & accensis facibus, per loca templis vicina cum ululatu absurdissimo circumiêre, Catholicarum processionum & supplicationum formam barbarico ritu derisuri. Sed hæc tempestas, Deo dante, non admodum diuturna fuit: cum & Henricus Administrator, quem infana plebs ejusmodi sacrilegiis faventem habuit, post annum repentino fato occubuerit; & Gebhardus Truchsesius, qui ad hæc nefanda scelera funesto exemplo anteiverat, intrâ paucos menses toto Westphaliæ Ducatu exclusus, atque ad summam rerum omnium indigentiam detrusus fuerit, uti nunc apertiùs edocebo.

Premebatur jam Bonna magnis undique necessitatibus. Foris eam affligebat Ferdinandus Bavarus Ernesti frater, qui non modo totam urbem arctissimè circumcinxerat; sed etiam ex altera parte Rheni fortissimum excitaverat munimentum, unde & moenia tormentis quater, & omnem commeatum ex eo litore inferendum arcere poterat. Intùs verò arctabat eam gravissima rerum plurimarum inopia, præsertim verò pecuniæ, salis, & lignorum: quorum tantus apud omnes præsidiarios defectus erat, ut frigido illo brumali tempore (erat enim mensis Januarius) Catholicorum exulantium ædes diruere, earumque trabes actigna ad focum apponere necessum fuerit. Unica spes miserorum erat in Adolpho Comite Nüenario, & Itelio Henrico Ducis Brunsvicensis filio

Paderbornæ, & in locis Ducatus Westphaliæ proximis, incipiunt acatholici Truchsesiano more Ecclesias diripere, & rebus sacris insultare.

Hist. Collegii Paderb.

Sed hæc tempestas brevi iterum conquiescit pulso Truchsesio.

Hist. Collegii Paderb.

Bonna à Ferdinando Bavaricæ Duce vehementer premitur.

Isfeld. l. 4. pag. 416.

Eyzinger. in hist. Truchses.

Nüenarius, & Itelius Henricus

filio

SSf



Brunsvi-  
centis no-  
thus, cum  
suis copiis  
auxiliarib<sup>9</sup>  
ab eodem  
cæduntur.  
*Isselt loc.  
cit. p. 421.  
Eyzinger  
ibid. & alii*

filio notho; qui corrafo virorum circiter quinque millium exerci-  
tu, multisque curribus annonâ plenis, exeunte Decembri ad ur-  
bem obsidione liberandam abiêre: sed magno suo & suorum in-  
fortunio. Ferdinandus enim, cum de eorum adventu per explo-  
ratores edoctus esset, pariterque intelligeret, eos in Ducatu Mon-  
tium ex adversa ripa Ackeræ fluvii rectâ Siburgum tendere; non  
parvas equitum, peditumque suorum copias in occursum ambo-  
rum misit. Atque (ut magis inobservatè eosdem falleret) à cite-  
riore fluminis illius ripa, ubi ligneum pontem transitori erant,  
suas copias abdidit in opaco, densoque saltu; in quo & hostem ob-  
servare, & vicissim à nemine observari poterant. Ibi postquam  
Ernestiani conspexêre, potiorem exercitus Truchsesiani partem in  
litus proximum advenisse; continuò è suis latebris profiliunt,  
minúsque opinantes tanto impetu aggrediuntur, ut magna pars  
Ernestianorum gladiis trucidata: pars è ponte, accedentium & re-  
cedentium compressionibus dissoluto, sub aquis merfa & suffoca-  
ta: reliqui verò, qui Siburgum versùs improspèram fugam capes-  
siverant, ibidem in Siga fluvio consèpulti fuerint. Quo animad-  
verso etiam hi, qui adhuc trans Ackeram amnem conlitére, præ-  
cipiti cursu in fugam abeunt; relictis impedimentis omnibus, in-  
terque cetera, etiam quadraginta quinque curribus, pernarum &  
succidiarum multitudine, saléque & pulvere nitrato plenis.

Præfidiarii  
Bonneses  
deditione  
pacificuntur  
*Isselt l. 4.  
belli Colon.  
pag. 437.*

& Carolum  
Truchsesiũ  
gubernato-  
rem urbis  
captivum  
tradunt.  
*Isselt ibid.  
pag. 440.*

Bedberga  
ab Ernestia-  
nis occupa-  
tur.  
*Isselt pag.  
455.*

Ea clades continuò præcidit omnem spem Caroli Truchsesii  
gubernatoris urbici: neque jam aliud respiciebat, quàm ut ex ur-  
be tot ærumnis fatigata clanculum se retraheret. Id quod ubi subo-  
lere coepit militibus præfidiariis, qui jam diu frustra stipendiorum  
suorum solutionem flagitaverant; jejunam hanc militiam detesta-  
ti, primùm sese cum Ernestianis in occultum colloquium immi-  
sêre. Deinde verò cognitâ, quam hæctenus ignoraverant, Geb-  
hardi & omnium ei militantium proscriptione, die 28. Januarii de-  
ditionem urbis eâ lege pacti sunt, ut Carolus Truchsesius Bonnæ  
gubernator in Ernesti manus traderetur unâ cum duobus centu-  
rionibus primariis; reliquus verò miles, ne nimium damni è sti-  
pendiis à Truchsesio non persolutis ferat, acceptis ab Ernesto qua-  
tuor florenorum aureorum millibus cum omni armatura sua liberè  
discedat, quocunque velit. Post hæc aliquarum hebdomadam  
quiete interpositâ, cum exercitu toto in Diocesium inferiorem per-  
rectum est ad obsidendam Bedbergam, arcem & oppidulum Co-  
miti Nüenario parens, eoque tempore totius viciniae famosum spo-  
liarium, juxta amnem Erpiam, vulgò *die Erpe* / vel *Erstte*. Erat  
hîc ingens præda, ex incolarum & accolarum aut viatorum trans-  
euntium direptionibus comportata; ideoque & arcis illius guber-  
nator



nator, uti memorat Eyzingerus, constituerat eam stationem toto virium suarum objectu usque ad extremum spiritum conservare, ne opes ibidem partas amitteret. At ubi conscenso oppido, etiam vicina arx tormentis majoribus verberari coepta est, & jam ingenti murorum strage factâ propediem adornandus erat assultus militaris: repente gubernator, die nonâ Martii, deditionem velociorem obtulit, quanquam nullo alio favore pro se, suisque impetrato; quàm ut solo accincti gladio, nullâ re aliâ simul exportatâ, suas quisque vias abire possent.

Tum verò Ferdinandus Dux, pacatâ ferè totâ Provinciâ trans-Rhenanâ, castra movit in Westphaliam, ut ibidem pariter Colonienfis belli reliquias conficeret. Præmissus illuc primùm cum aliquot centuriis Joannes de Manrique Hispanus; qui in territorium Recklinghusanum veniens, collocavit sese in pago *Buer*, vel, ut alii vocant, *Boër*. Sed cum ibidem intelligeret, è Ducatu Westphaliæ Truchsesium cum suis advenire; aliquantulum se removit ad jungendum se Ferdinando Duci, cum universis Ernestianorum castris propinquant. Quo animadverso Truchsesius, valentior adversarii sui exercitum veritus, mutato protinus consilio cum suis copiis recepit se trans amnem Lupiam: indeque primò Wesaliam, & hinc iterum Zutphaniam profectus est, ut Hollandis hanc urbem obsessuris auxilium ferret; eâque domitâ, cum attractis Hollandorum legionibus in Westphaliam rediens, Ferdinandum Ducem penitus obtereret. Sed vehementer sefellit ipsum tam remota spes. Ferdinandus enim fugâ cognitâ summo cum silentio ac festinatione Truchsesium insecutus est, nec ab eodem persequendo prius destitit, usque dum pridie Kalendas Aprilis, apud Burgam in comitatu Zutphanæ, unam Truchsesianæ militiæ partem assequeretur. Constabat hæc sexcentis equitibus, ac ducentis sclopetariis, quibus præerat Itelius Henricus Brunsvicensis notus, vulgò dictus *Etzel Henrich*. In hos Ferdinandus, priusquam ab aliis juvarentur, tanto cum impetu derepente invectus est, ut quingentis eorum interfectis, ceteri ferè omnes vivi in potestatem ipsius venerint unâ cum Itelio Henrico; quem tribus vulneribus gravissimè faucium, & adhibitâ chirurgorum operâ nonnihil recreatum, postremò Cæsaris-Werdam ad honestam custodiam abduci iussit: in qua tamen Haræo teste, non longè post è plagis acceptis obiit. Reperta in castris ditissima præda, quam è spoliis Westphalorum tulerat; simulque in primario curru vexillum prætorium Gebhardi Truchsesii, ex albo serico damasceno confectum, & aureo caractere inscriptum hisce vocibus: *Dominus fortitudo mea.*

Ferdinandus  
Dux cum  
suis movet  
in West-  
phaliam.  
*Iselt l. 4.  
pag. 457.*

Truchsesius  
eo adveni-  
ente recedit  
versus Wes-  
salia &  
Zutphaniam.  
*Iselt pag.  
457.*

Quem Fer-  
dinandus  
properè  
consequitur  
& partem  
exercitus  
Truchsesia-  
ni cædit,  
capto Itelio  
Henrico  
Brunsvi-  
censi notho  
*Iselt ibid.  
pag. 459.  
Eyzinger  
in hist.  
Truchf.  
& paulò  
post mor-  
tuo.*



truchsesius  
cum refi-  
duis mille  
equitibus  
fugit in  
Hollandiã  
ad Wilhel-  
mum Prin-  
cipem  
Arauficanũ.

*Eyzinger  
in hist.*

*Truchses.*

Ferdinandus  
dux redit in  
Westphalia  
&  
Reckling-  
husium  
cingit obli-  
dione.

*Isfels l. 4.*

*belli Colon*

*pag. 463.*

quã duran-  
te primũ

Werla,

*\* stylo novo*

*aliã die 6.*

ac deinde

totus west-

phaliã Du-

cat<sup>o</sup> Ernesto

Archiepi-

scopo se

submitit.

*Kleinsorg.*

*ibid.*

Arx Bilstei-

niana à sa-

trapiã isti<sup>o</sup>

rusticis re-

cuperatur.

*Kleinsorg.*

*ibid.*

Advectis à

Rheno

tormentis

bellicis,

*isfels pag.*

*463.*

Castum

Hornens-

burgense.

*Isfels ibid.*

Peraclã clade, Truchsesio solũ supererant mille equites, quos habebat sub Comite Nienario. Cum his ille, statim atque tam infelicitè pugnatũ audiit, lepore, cervoque timidior trans Isalam & Rhenum fugit in Hollandiam ad amicum suum Wilhelmum Principem Arauficanum. Ferdinandus autem, ab hoste fugitivo liber, viam cum suis retro vertit in Westphalam, ubi die septimã Aprilis (stylo novo) castra applicuit ad obsidendum Recklinghusium. Diuturnior quidem fuit hæc obsidio, tum ob militum præfidiariorum pertinaciam; tum verò maximè, quòd Ferdinandus Dux ob itinerum præteritorum celeritatem nulla secum attulisset graviora tormenta bellica, è Rhenano tractu lentius adducenda. Aliæ tamen urbes (quæ extra territorium Recklinghusianum in Ducatu Westphaliæ jacent, & jam pridem antea Truchsesiani jugi gravitatem pertæsiæ erant) ejusmodi vim non expectantes, eã promptitudine ad novi Præfulis Ernesti partes accessere; ut ante Recklinghusii deditiõnem, totus Westphaliæ Ducatus absque ullo armorum strepitu in potestatem illius venerit. Prima omnium Werla, ubi dudum Catholici ad antiquum suæ Religionis exercitium ardentissimè suspiraverant, die decimã sextã\* Aprilis Ernesti Præfulis imperio se submitit: nec multò post etiam Werlensis arx, propter subitanèam gubernatoris Truchsesiani fugam, à præfidiariis militibus eidem tradita, & à Bavaris occupata est. Idem illud exemplum continuò secutæ sunt Arensberga, Attendorna, Rüda, Brilonia, Stadtberga, Medebacum, Volckmaria, Geseka, & aliæ urbes; quæ continenter intrã dies paucos voluntariã submissione novo Principi, coram ejus commissariis, obedientiæ ac fidelitatis juramentum edixere. Imò, quod magis admirandum est, Satrapiæ Bilsteinianæ rustici suis ipsi manibus Bilsteinianam arcem recuperârunt; hærentemque in ea Carlewizium centurionem, unã cum aliis bellatoribus Truchsesianis, tam diu retinuerunt in custodia, donec eos Ferdinando Duci, Satrapæque suo Casparo Fürstenbergio jam dudum exuli, captivos traderent. Interea è tractu Rheni advectus erat magnus tormentorum bellicorum apparatus, quo territorium Recklinghusense (ubi sola Dôrsta Truchsesianas partes recusaverat) nunc demum frangi & exballistari debebat, nisi jam sponte cederet. Quod cum viderent hi, qui ibidem in præfidiis à Truchsesio collocati fuerant; pavore protinus tam insolito concussi sunt, ut intrã octo vel novem dies, etiam non expectatã muralium tormentorum explosiõne, suam quisque stationem deseruerit. E castro Hornenburgenfi, nocte inter vicesimam quintam & sextam Aprilis (stylo novo) miles omnis hoste nondum viso turpissimã fugã se subduxit; non aliter



aliter, ac ii faciunt, qui foro cedunt, & ædes habitatore vacuas post se relinquunt. Octiduo post (nimirum die quartâ Maji) etiam præfidiarii Recklinghusani, impressionem è majoribus tormentis faciendam veriti, deditioem oppidi istius obtulère: sed, quia diuturniori tempore contumaces fuerant, nullam aliam deditioem legem impetrârunt; quàm ut armis abjectis, & cum solo baculo manu tento egredientes, Ferdinandi Ducis clementiæ se, vitamque suam permitterent. Quo intellecto, statim gubernator Westpholtenensis, ne similem fortunam experiretur, voluntariâ submissio- ne pariter suæ arcis portas Ferdinando Duci patefecit, & cum suis militibus in ejus fidem receptus est. Ità demum Westphalia tota, quousque illa septemviro Colonienfi paret, intrâ quinque hebdomades, ad Ernesti Præfulis obsequium se inflexit: ut proinde ex repentina hac omnium rerum conversione sole clariùs appareat, id esse opus misericordiæ & justitiæ divinæ; quæ hoc modo tot hominum oppressorum gemitus exaudire, & abominanda Truchse- fii scelera condigno tandem supplicio castigare voluit. Revocati subinde sacerdotes Catholici, à Truchsesio proscripti: restituti ve- teres Ducatûs Westphaliæ Proceres & consiliarii, à suis officiis de- positi: reducti urbium variarum consules, judices, & secretarii, propter fidem antiquam exules: renovatum Catholici Religionis exercitium, diu pulsum: reædificata aut reconciliata altaria, ab hæreticis destructa vel profanata: atque, ut hæc omnia majorem firmitatem obtinerent, Ernestus ipsemet in Westphalam venit, urbes omnes perlustravit, oppidanos in suam fidem recepit, in au- ctiores turbarum inquisivit; ac deinde in comitiis Gefekensibus, mense Junio congregatis, adornavit omnia, quæ ad communem patriæ tranquillitatem reducendam & conservandam facerent.

Agebat eo tempore miser Truchsesius apud Wilhelmum Prin- cipem Arausicanum Delphis in Hollandia: ubi licet humanissimè exceptus fuerit; miseriam tamen & infelicitatem suam aggravari magis, quàm leniri ac mitigari sensit. Uterque ipsorum sperabat sereniora tempora: Truchsesius ab Arausicano, & Arausicanus à Francisco Alenfonio, Regis Galliarum fratre; quem oblatâ Ordini Belgicorum reconciliatione, cum ingentibus Gallorum copiis rediturum esse confidebat: sed utriusque spem festinâ cuspide in- tercidit inopina mors. Nam Alenfonius Kalendis Maji in mor- bum sibi fatalem incidit; & quadragesimâ \* die post, nimirum de- cimâ Junii, majori cum pietate & constantiâ, quàm in mundo vi- xerat, è mundo emigravit, anno ætatis suæ trigesimo. Arausi- canus autem die decimâ sequentis Julii in urbe Delphis (vulgò *Delft*) à quodam Balthasare Girard, manuali sclopo duobus globulis fer-

Oppidum  
Reckling-  
husense,  
*Isselt pag.*  
464.

& arx We-  
sterholten-  
sis, Ernesto  
se subji-  
unt,  
*Isselt pag.*  
464.

Revocatis  
omnibus  
propter fidē  
exulibus,  
Ernestus  
Archiepis-  
scop⁹ venit  
in West-  
phalam; &  
ubique  
Catholicā  
religionē,  
quietemq;  
publicam  
restituit.

*Kleinsorg.*  
*in diario*  
*hist. Truch-*  
*ses.*

Miseria  
Truchsesii  
crescit

ex morte  
Ducis  
Alenfonii,  
\* *Spond hic*  
*n. 1.*  
& cæde  
Principis  
Arausicani,  
teu Orangii  
reâ



reâ catenulâ junctis repente sic trajectus est, ut sine omni signo intellectus in terram decidens, post modicum semi horæ spatium exspiravit. Funus ipsius die tertiâ Augusti (postquam Girardius, horrendis cruciatibus diu tortus, nihil aliud edixisset, quàm hujusmodi \*necem divino solùm instinctu à se peractam esse) magnificentissimâ pompâ celebratum est, comitante præ cunctis aliis Truchsesio, qui Mauritium ejus filium, unâ cum Philippo Comite Holachio, post feralem tumbam deducebat, in oblongo, nigroque pallio conspicuus. Et certè nemini tam inopina cædes luctuosior erat, quàm Truchsesio. Qui, sublato hoc fulcro suo, frustra inter paludes Batavicas exspectabat consolationem suæ calamitatis, dolens de Archiepiscopatu perditio, & gemens cum Propheta, *psalmo 136. : super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* Sed hæc erat justissima divini Numinis vindicta: ut, qui antea superos omnes malitiosè contempserat; nunc etiam vicissim ab omnibus hominibus desertus & contemptissimus esset.

*\*Haræus in ann. brab. cujus etiam funus magno luctu ibidem profecutus est.*

*Srada de bello Belg. decad. 2. l. 5*

Alexander Farnesius in Belgio Ipras, Brugas, Teneramunda, Gandavum, & alias urbes, ad Hispani Regis obsequiū reducit.

*Haræus in ann. Brab. Srada dec. 2. l. 5.*

Ceterum ex utroque illo, tam Alenfonii, quàm Arauficani fato, utilitatem longè maximam consecutus est Alexander Farnesius, Parmæ Dux & gubernator Belgii. Occupaverat hinc paulò antè duas è præcipuis Flandriæ civitatibus, Ipras nimirum & Brugas: quarum prima die decimâ Aprilis; altera verò die vicesimâ quintâ Maji, abjectâ Hollandorum & Zelandorum societate, ad Hispani Regis obsequiū reducta fuerat. At ubi postmodum duo illa foederatorum capita cecidère; Alexandri fortuna ex adversæ partis consternatione eum in modum crevit, ut continuato victoriarum cursu etiam Herentalia, Teneramunda, Vilvordia, & Gandavum, cervicem diu refractariam Hispanico marti promptissimè submiserint, antiquâ Fide Catholicâ in iisdem protinus restitutâ. Id quod etiam sequenti anno à Bruxellensibus, Mechliniensibus, & Antwerpiensibus factum esse, docebunt gesta sequentis anni.

## Annus Christi 1585.

GREGORII XIII. Pontificis 13.  
 RUDOLPHI II. Imperat. 9. & 10.  
 HENRICI Admin. Pad. 8.

Gregorius Papa, cum audiisset Legatos Principum Catholicorum è Japonia,



credibili cordis lætitiâ perfructus est hoc anno Gregorius Papa, quando die vicesimâ 2dâ Martii ex ultimis terræ finibus ad ipsum pervenère Legati Catholicorum Principum Japoniæ, Francis Regis Bungi, Protafii Regis Arimæ, & Bartholomæi Principis Omuræ; qui Patrum Jesui-



Jesuitarum operâ, è diuturnis Ethnicarum superstitionum tenebris, ad lucem Evangelicam perducti erant. Literæ, quas iidem Legati à suis Principibus attulere, maximam submissionem & obsequentiam Sedi Apostolicæ debitam præferebant: atque ideo, cum in consistorio publico prælegerentur, ita omnium præsentium animos affecerunt, ut neque summus Pontifex, neque Patrum \*Purpuratorum senatus, præ liquidissimo cordis gaudio temperare sibi à lachrymis potuerint; uti narrat, qui vidit, & in suis diariis descripsit, Magister cerimoniarum Franciscus Mucantius. Fuit autem hoc ultimum laudatissimi hujus Pontificis gaudium, quod in terris habuit. Nam paulò post repentinâ infirmitate obrutus, ac die decimâ Aprilis morte sanctissimâ extinctus est, anno ætatis octogesimo tertio; posteaquam immensis ferè sumptibus in urbe Roma fundâset locupletissima Adolescentum Germanicorum, Anglicanorum, Græcorum, Maronitarum, aliarumque nationum collegia, toti earum posteritati quàm maximè profutura. Suffectus est in ejus locum, humillimis quidem natalibus ortus, virtute autem ac literis plurimum conspicuus Cardinalis, Felix Peretti, Italus ex ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, qui se postea Sixtum V. appellari voluit, electus die 24. Aprilis, coronatus verò Kalendis Maji.

Mortem Gregorii Papæ intrâ breve tempus consecuta est mors Henrici Administratoris nostri; quem superi prohibuerunt, ne in Fidei Catholicæ everfionem diutius viveret. Spina ipsi in oculis erant Societatis JESU Patres Paderbornæ: quorum operâ Catholicos, qui ibidem adhuc supererant, in Romana Fide retineri; vel quandoque etiam parvis accessibus augeri noverat. Atque ideo rursus, uti jam ante biennium cœperat, cum perverfis consultoribus suis curam omnem huc intendebat, ut eosdem quâcunque vi & methodo à scholis & cathedris amoveret: nihil dubitans, quin ejectis illis etiam omnes Catholicorum reliquiæ propediem exturbandæ ac dissipandæ forent. Sed hæc volentem & conantem potentiori consilio prævenit è cælo Deus: effecitque, ut pseudo-Episcopus ille prius, quàm bonos Patres ab urbe pelleret, miserabili mortis genere è vivis ejiceretur. Cum enim die octavâ Aprilis stylo vetere (quæ tunc Dominica Palmarum erat) Bremer-Vördæ in Archiepiscopatu suo Bremensi, Lutheranae prædicationi interfuisset, indèque rursus ad vicinam arcem adequicaret; non tam equicespitantis vitio, quàm ex impulsu & voluntate divina contigit, ut prope Cancellariam ejus loci repentè in terram \*dejectus fuerit. Ac, tametsi ex eo lapsu non statim fregerit cervicem, sicut aliqui in manuscriptis referunt; ita tamen & animo & corpore affectus

\*Spondan.  
n. 9.

die decimâ  
Aprilis magna cum  
laude obiit:  
Spond. hic  
n. 13.

cui eodem  
mense successit Sixtus  
V. dictus  
antea Felix  
de Peretti.  
Spond. ib.  
n. 14.

Henricus  
Administrator  
Ecclesie Paderbornensis,  
cum Societatis  
Jesu Patres  
ejicere  
vellet;

inopinâ  
morte prævenitur.  
Hist. Collegii S. J.  
Paderb.

\*Hamelm.  
in chron.  
Oldenb.  
pag. 436.

est,



\*Hamelm.  
pag 434.  
Veterams.  
Paderb.

est, ut intrâ duas hebdomades mortalitatis suæ cursum expleverit, vitâ simul & Episcopatu malè gesto functus die vicesimâ 2dâ Aprilis\* stylo vetere, anno ætatis suæ circiter trigésimo quinto. Chytræus & alii scriptores acatholici magnopere commendant illum à pietate & prudentia: nos autem neutram in eo dilaudare possumus. Nam illi pietatem vocant Catholicæ Religionis odium; passimque omnes appellant pios, qui Augustanæ Confessioni contra piissima Patrum sanctorum sensa tenaciter adhærent. Hos autem qui pios nominat, similis est iis, de quibus Isaias inquit c. 5. *Va! qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras!* Prudentiam quoque aliam in eo non reperimus, quàm quòd in motibus Gebhardi Truchsesii, cui vel maximè additus erat, aliquantò cautiorem se ostenderit: ac, licèt cum eo pariter ad conjugales amplexus aspiraverit; à connubio tamen publico se abstinuerit, prius finem Truchsesianorum ausuum vilurus, & interea libidinem suam expleturus pellicatu Annæ Bestorpiæ, de qua aliò in loco diximus. An autem hæc vera & Christiana prudentia appellari debeat; viderint illi, qui eum commendant à prudentia.

### Animadversio.

Hucusque in Diæcesi nostra Paderbornensi retentum fuit Calendarium vetus. Mortuo autem Henrico Lawenburgico, & succedente huic Theodoro Fürstenbergico, receptum est proçinus Calendarium Gregorianum, uti refert Chytræus hisce verbis: *Paderbornensi Diæcesi gubernanda prepositus est Theodoricus à Fürstenberg, qui statim subditis Calendarium Gregorianum obtrusit, et novo Religionis juramento se Pontifici obstrinxit.* Quare ea, quæ de Henrici Administratoris casu & morte superius dicta sunt, intelligi debent stylo vetere: ita ut juxta novum Gregoriani Calendarii stylum Henrici casus acciderit die decimâ octavâ Aprilis; mors autem illius die 2dâ Maji.

In Ducatu Westphaliæ idem Calendarium introductum est uno anno prius: scilicet mense Junio anni superioris, quando Ernestus Archiepiscopus ibidem celebravit comitia in urbe Geseka; uti refert Kleinsorgius in diario Ms. Historiæ Truchsesianæ.

AN